



1
7
393









Q. D. B. V.

ANTIQVITATES ARCHIEPISCOPATVS MAGDEBVRGENSIS

quampluribus nunquam antea editis

OTTONIS I.

Diplomatis, Bullisque Pontificiis

distinctas

SVB PRAESIDIO

CASPARIS SAGITTARII, D.

HISTOR. P. P.

DIE SEPTEMBRIS

Publico examini exponet

JOH. CHRISTOPH. Schillingk/

HADMERSLEBIO-MAGDEBVRGICVS.

JENAE

TYPIS NISIANIS.

ANNO CIↃ IↃC LXXXIV.

VIRO
PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO
GVSTAVO ADOLPHO
A SCHVLENBVRG
Hæreditario Domino in Embden
Bezendorf & Schadeleben
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
ELECTORI BRANDENBVRGENSI
a Consiliis intimis, Cameræ Halla-Magdeburgicæ Præsidi, Prætori in Gibichenstein & Moritzburg
MAECENATI AC PATRONO SVO
GRATIOSISSIMO
Has Archiepiscopatus Magdeburgici Antiquitates

in devotissimi obsequii pignus
humillime dedicat
JOH. CHRISTOPH. Schillingk.

Issere Parthenopes quæ sint cunabula: Sic, quid
De te sperandum sit, documenta dabis.
Macte his! deque tua patria sic perge mereri,
Tunc meritis reddet præmia digna tuis.

Præeximio Dno SCHILLINGIO gratulabundus adpos.

Rudolf Wilhelmus Krauß/
Phil. & Med. D. P. P.
h. t.
ACAD. RECTOR.

FElix qui studiis erectis sedulus instat.
Tu te felicem per documenta probas.

amico animo testando scr.

Jo. Philippus Slevogtius,
D. & Prof. Iuris ac Philosophiæ ordinarius.

IPſa quidem *Magdburga* ſuo ſplendore coruſcat,
Dotibus & variis tollit ad aſtra caput:
Et quoque metropolin ſtatuit qui *Maximus Otto*,
Auxit & ornavit pluribus atque bonis;
Laudibus egregiis celebrabitur: attamen iſta,
Hactenus in tenebris quæ latuere nigris
Ottonum in lucem diplomata ſi referentur,
Majorem lucem metropolis capiet.
Hunc igitur mecum, *Juvenis præclare*, laborem

Quod

Quod ſuſcepiſti, mens mea gaudet ovans.
Et bene quo cedat ſtudiorum cura tuorum,
Supplicibus votis ſollicitabo Deum.

In gratiam Nobilisſimi Doctisſimique Dn. Reſpondentis, Convictoris & Amici gratisſimi lmq; ſcribeb.

PRAESES.


EX his, quod patriæ monumenta vetuſta revolvis,
Laus ſtudiumq; Tuum, doctaque Muſa micat.
Eſt labor excellens, priſcos qui rumpit in annos,
Atque in ſe multum commoditatis habet.

MAGDE-

MAGDEBURGIACÆ manet & TE gloria laudis,
Et TIBI se facilem patria grata dabit.
Pauca quidem scribis, sed quæ dignissima cedro,
Dum patrii reseras lustra vetusta soli.
Laudamus studium; sic perge extendere famam,
Et patriæ laudes amplificare tuæ.
Sic patriæ surgens in Te quoque gloria surget,
Et capies studii digna brabéa tui.

Nobilissimo Domino Respondenti
Amico svavissimo gratulantur

CONVICTORES SAGITTARIANI.




SIGILLVM
OTTONIS MAGNI
Signum
OTTONIS M.
Signum
OTTONIS M.
+ OTTO DI GRA REX.
Ex Museo M. Joh. Gotfr. Olearii.



§. I.

ARchiepiſcopatus Magdeburgenſis, in cujus antiquitates præſenti diſſertatione penitius inquirere animus eſt, nomen habet a clariſſima ampliſſimaq; ſua metropoli MAGDEBVRGO: quæ urbs jampridem Saxoniæ inferiori adſcripta, olim ſeptemtrionalis, ſive Nort-Thuringiæ, fuit portio.

§. II. Enimvero florentibus Regum Thuringicorum rebus tam late patuit Thuringia, ut ſupra hanc, quæ pridem id nominis obtinuit, provinciam, vicinas plures complecteretur terras: quarum tamen bona pars jampridem in Saxonum poteſtatem conceſſit.

§. III. Scilicet jam factum id eſt ſæculo a nato Servatore ſexto, quo Hermenfridus Rex Thuringiæ a Theodorico Francorum Auſtraſiorum Rege victus, ac poſtea occiſus eſt: ipſo regno Thuringico in duas partes ſecto, quarum alteram retinuerunt Franci, altera Saxonibus pro præſtita Francis in hoc bello ſingulari ope ceſſit.

§. IV. Hæc ne diſertius hoc loco memoremus, Epiſtola noſtra *de antiquo ſtatu Thuringiæ* ſub auſpicia Hiſtorici in hac Salana muneris, ac quæ nunc ſub torculari typographico calent, *Regni Thuringici Antiquitates* faciunt: ex quibus priſtinam univerſæ Thuringiæ per hæc tempora faciem lector benevolus haut difficulter cognoſcet.

§. V. Etſi autem Regum Thuringicorum poteſtas

& auctoritas tum plane exſpiravit, Thuringiæ tamen nomen non omnino exuiſſe terras illas, quæ in manus Saxonum pervenere, frequens Nort-Thuringiæ facit mentio, quam in diplomatis variorum Germaniæ Regum, inprimis autem Ottonum ſæculo decimo reperimus.

§. VI. Excerpta horum diplomatum in *Antiquitatibus Regni Thuringici* lib. II. cap. XII. dedimus: perinde ac ante nos id fecerunt Marcus Wagnerus libello germanico, quo regnum Thuringiæ in pagos olim fuiſſe diſtributum aſſerit, & inſignis Polyhiſtor Henricus Meibomius in eleganti de *Pagis Saxoniæ* commentatione. Integra vero diplomata hanc ad rem facientia repræſentarunt laudatus Meibomius in calce Annalium Witichindi monachi Corbejenſis, & Benjamin Leuberus, in *Disquiſitione planaria Stapulæ Saxonicæ* Budiſſinæ anno præſentis ſæculi LVIII. edita. Nec pauca huc pertinentia diplomata Magdeburgenſia Mss. nobiſcum communicavit Vir plurimum reverendus ac clariſſimus, Johannes Gotfrid Olearius, Eccleſiaſtes Hallenſis de Eccleſia ſua optime, nec non de bonis literis inſignite meritus: quem, quia in hac ipſa Magdeburgenſium Antiquitatum tractatione non parum nos per diplomatum illorũ communicationem juvit, ut honoris cauſa nominaremus, ac ſingularem ejus benevolentiam celebraremus, noſtri omnino erat officii.

§. VII. Ex re igitur & vero illuſtris quondam Præceptor noſter Hermannus Conringius, in *de antiquiſſimo ſtatu Helmeſtadii & Viciniæ conjecturis* ſcripſit: *Regnum Thuringorum hoc etiam noſtrum Helmſtadium viciniamq; Magdeburgenſem, ut & ipſum Magdeburgum comprehendiſſe, extra omnem eſt dubitationis aleam collocandum.* Etſi vero idem Conringius nomen Thuringicum in Magdebur-

deburgicis cum sæculo decimo obsolevisse opinatur; in ipso tamen adhuc XI. sæculo memoriam Nort-Thuringiæ & in diplomatis & in scriptis quibusdam historicis superare novimus, ac alibi etiam id jam cœpimus ostendere.

§. VIII. Ceterum prius ad ipsius Magdeburgici Archiepiscopatus origines quam abeamus, de ipso nomine, ac simul de primordiis Magdeburgi nonnulla præmittere decrevimus.

§. IX. Quæ pridem contracte Magdeburg fuit appellata civitas, olim *Magathaburg, Magadoburg, Magadaburg*, & *Magadeburg* frequenter scribebatur: id quod quamplura, quæ a nobis visa, lecta & descripta sunt diplomata commonstrant: quin & ipsa Regum Francorum Capitularia ejusmodi scriptionem præferunt.

§. X. Voces autem Magad/ Maged & Magd apud majores nostros non speciatim *ancillam* aliis servientem, sed generali nomine *Virginem* denotasse, notius est, quam ut multa explicatione indigeat. Atq; hinc est, quod S. Virginem Mariam sic passim B. noster Lutherus tam in N. Testamenti versione, quam in sacris quibusdam cantilenis salutaverit. Quod tamen pleræque servarum ex virginibus sint sumtæ olim, ac etiamnum id fiat, cur iisdem hoc nominis adhæserit, facile apparet. In hanc rem Goropius Becanus in fine *Hermathenæ* sic scribit: *Nobis* Macht *vel* Magd *virginem significat, & pro famula etiam ponitur, quia virgines fere loco ancillarum habeantur.*

§. XI. Neque vero dubitaverim, quin ex hac voce burgo Magdeburgensi nomen adhæserit. Atque hoc ipsum omnes illi videntur confirmare, qui huic civitati græcum nomen *Parthenopolios* attribuerunt. Id quod jam sæculo XII. fecit Sigebertus Gemblacensis in *Chronographia*. Nec aliter sensisse visus est Johannes Reuchlinus, sive

Capnio, qui *Dmoadum Pyrgum* dixit, teste Francisco Irenico, cujus verba huc pertinentia ex libro XII. *Exegeseos Germaniæ* afferam: *Magdenburgum Saxoniæ metropolis est, a Joanne Capnione, viro undecunque doctissimo* Dmoadum Pirgum *dictum, in epistola ad Joannem ex Lupis de Hermesgrun. Dicitur autem a græca dictione.* Dmoades *enim puellas ancillares græci ferunt, quasi per aphæresim seu endiam* (quid hæc vox sibi velit, non capio) *prima litera sublata* Maid *dicimus,* & πύργον pyrgum Burgum, *ut* πύξος buxus. *Hæc ille.* Addit Irenicus: *Ecce quam pulcherrima utriusque lingvæ convenientia in illo nomine,* δμωή, δμωῆς ancilla *dicitur, vel* δμωίς, δμωίδος, καὶ δμωάδες ministræ *sunt.* Æneas Sylvius eandem ob causam voce latino-græca *Virginopolin* vocavit: ad quem denuo provocans Irenicus, ita pergit: *Æneas Syl. Magdenburgensem vocat & Virginopolim metropolicam insignem urbem, inter Saxones, opibus & authoritate memorabilem scribit.* Guntherus, Poeta spiritus & ingenii haut spernendi, imo ut in illo ævo mirandus, quod proprium nomen difficulter admitteret ligatus sermo, *Virgineam urbem* indigitavit lib. I. Ligurini

Huc quoque Virginea (modo dicere fas sit) ab urbe
(Nam neque barbaricum recipit mea pagina nomen,
Nec melius dici sine nomine posse videtur)
Electo partes gemino de Præsule litem
Pertulerant.

Ac iterum lib. VI.

Denique virgineam se præsentaret in urbem.

Quid, quod ipsa hanc sententiam confirment vetusta urbis Magdeburgensis insignia, utpote virginem cum cultu virgineo præferentia?

§. XII.

§. XII. At vero quæ ac qualis virgo, vel una plures fuerint virgines, a qua, vel quibus Magdeburgum illustre acceperit nomen, de eo mirum in modum dissentiunt Scriptores varii.

§. XIII. Svavis est, & Poeta digno conjectura, a Magdeburgensibus formæ non quotidianæ, plebejo quantumvis sangvine prognatis puellis hoc nominis derivans. Vt adeo facile ignoscas Petro Lotichio canenti:

Quæ vetus hoc merito (quam præterit herbifer Albis)
Vrbs de virginibus nomen adepta gerit.
Tot quoniam facie præstantes, Marce, puellas
Quamlibet e mediæ sanguine plebis habet.

§. XIV. A Venere igitur famosa Romanorum Dea Magdeburgi religiose quondam culta nonnulli denominationem repetunt. Facit id Hartmannus Schedelius in Chronicis Norimbergæ anno CIↃCCCCXCIII. excusis. *Madeburgæ*, inquit, *olim Parthenopolis a Venere parthenia appellata, quæ ibi colebatur. Et urbs Virginum dicta.* Item Adrianus Romanus, *in parvo Vrbium Theatro* scribens: *Magdeburgum ad fluvium Elbam, a Venere Parthenia quæ ibi colebatur, appellata, Parthenopolis sive Castrum puellarum.* Verum huic sententiæ fortiter reluctatur Petrus Bertius *lib. III. Commentarii Rerum Germanicarum*, cujus verba hæc sunt. *Qui Venerem illic cultam a Romanis dicunt, atque inde nomen Magdeburgo datum, nescio unde Venerem didicerint esse virginem, aut Romanos hoc loco Veneri, aut omnino Deæ alicui delubrum posuisse, Certe Venus tantum abest, ut virgo sit, ut potius omnis impudicitiæ & spurcitiei sit mater. Romani vero nunquam hisce*

locis sedes fixerunt: nec, si voluissent, permisissent illud Germani.

§. XV. Alii Charitum trigam jungunt Veneri, earundemque simulacrum Magdeburgi antiquissimis temporibus constitutum, a Carolo Magno volunt comminutum ac subversum. Georgius Bruin in Poligraphia: *Veneris simulachrum in curru stantis cum tribus Gratiis hic colebatur, unde nomen natum est loco, ut Parthenopolis, id est, puellarum urbs diceretur, quod & Magdeborg vox Germanica sonat.* Mattheus Dresserus Isagoges Historicæ parte V. de præcipuis Germaniæ Vrbibus: *Magdeburga compositum nomen habet a burgo sive arce, & a puellis, quæ erant tres Charites seu Gratiæ, Veneris, quæ illic colebatur aureo curu insidens, filiæ. Quod idolum postea Carolus Magnus destruxit.* Latius autem hæc explicat Albertus Krantzius Saxoniæ lib. II. cap. XII. cujus integram narrationem afferemus. *Rex* (Carolus Magnus) *in Saxoniam iteravit expeditionem, & ad Albim fluvium in castello Megedeborch phanum subvertit, quod illi loco nomen dedit. Has ego reliquias crediderim Romanæ olim religionis, verius superstitionis, quum Drusus Nero, & deinde filius ejus Germanicus sub Augusto Cæsare præessent provinciæ. Simulachrum tale fuit: Stabat in curru nuda fœmina, myrtea caput cincta corona, ardentem faculam in pectore, in dextera mundi figuram, in sinistra vero aurea mala tria præferebat. Post eam tres puellæ (Charites Græci, Latini Gratias dixere) nexis manibus nudæ singula poma gestabant, aversis invicem vultibus dona porrigentes. Jugales quadrigæ erant gemini cycni, totidemque columbæ. Venerem hac imagine figurabat gentilitas, quæ in omni mundo dominatur. Gratias illa comites habet, quæ alternis obsequiis junguntur: hoc vult nexus*

ille

ille manuum. Vultus avertunt, quia beneficia non improperant. Sed bono mysterio vana suberat religio: quam Karolus subvertit, instaurans in locum ecclesiam S. Stephani. Ac iterum Metropolios lib. I. cap. III. *Ibi* (Magdeburgi) *Veneris simulacrum in curru stantis, cum tribus Gratiis colebatur: unde nomen natum est loco, ut Parthenopolis, hoc est, puellarum urbs diceretur, cum cycni & columbæ alites Veneri dicatæ juga ducerent ad temonem. Sed rex cordatissimus, non passus durare superstitionem, subvertit simulacrum.*

§. XVI. Neque tamen hanc idoli delineationem primus commentus est Krantzius, sed procul dubio in eo secutus est vetus Chronicon Saxonicum vernacula conscriptum lingva, ex quo postea expresserunt Johannes Pomarius Pastor Magdeburgensis in *Summa Chronicorum Magdeburgensium* anno CIↃIↃLXXXVII. edita, & Erpoldus Lindenbrogius *in Chronicis de Carolo Magno,* quæ Hamburgi CIↃIↃXCIII. prodierunt. Videantur etiam Sebastianus Münsterus *Cosmographiæ lib. III. cap. CCCXXXI.* & Petrus Albinus in *Chronico Misnico Tit. XI.*

§. XVII. Quod si autem quæras, quo tempore primum hoc Veneris simulacrum repositum Magdeburgi, quidam ad Julii Cæsaris, alii ad Drusi tempora confugient. Et in Cæsare quidem acquiescent illi, qui ab eo in honorem septem planetarum totidem per Germaniam exstructa castra existimant.

§. XVIII. Verum quia Julius Cæsar suis in Germanos bellis eo usque non pervenit, sed potius Svevorum metu, postquam Rhenum bis transmiserat, necessum habuit regredi, merito hoc commentum explodimus. Ac bene est, quod id jampridem fecerint Krantzius *lib. I. Saxoniæ*

xoniæ

xoniæ cap. XXV. Pomarius initio *Chronicorum Magdeburgensium*, Johannes Justus Winckelmannus in *Notitia Historico Politica veteris Saxo-Westphaliæ lib. II. cap. I. §. IX.* & nonnulli alii.

§. XIX. Quo ipso simul cadit illorum assertio, qui Magdeburgum jam Julii Cæsaris ævo, dimidio fere ante natum CHRISTVM sæculo floruisse, imo pro *Metropoli Romana ac castrensi urbe* putant habitam: in qua confutanda Leuberus num. CCCLXXI. & sequentibus sollicite est occupatus.

§. XX. Quæ de *Parthena* Julii Cæsaris concubina Andreas Wernerus in *Chronico Magdeburgensi*, & si qui sunt alii, afferunt, ac si ejus honori urbs dedicata *Parthenopoleos* nomen invenerit, omnino sunt conficta. Qui enim nunquam heic locorum devenit, nec concubinæ nomen novæ urbi dare potuit: ut taceam inter Cæsaris amasias nullum Parthenæ locum esse, ac urbi in Germania Romanæ nomen Græcum male convenire.

§. XXI. Præ Cæsare igitur Krantzio (quod vidimus) placet Drusus Nero, Tiberii Claudii Neronis filius, frater Tiberii Neronis, pater Germanici: quippe quem aliqui Magdeburgum in *limitaneam Romanorum urbem* (zu einer Römischen Mauer und Grentzhaus) extulisse perhibent. His propius accedit Krantzius, qui de primordiis Magdeburgi ita scribit in Metropoli lib. I. cap. III. *In Magdeburg propè ripam Albis fluminis arx ab olim præcipua, quam ego limitaneis Romanorum ducibus extitisse crediderim, cum jubente Augusto Cæsare Trans-Albianos Romani non attingerent: ne tamen illos viderentur formidasse, in ripa fluminis ad hostes versa præsidium constituerunt.*

§. XXII. Verum quam hæc quoque opinio infir-

mo nitatur tibicine, haut difficulter liceret demonstrare, nisi jam tum a laudato Leubero a num. CCCLXXXIV. usque ad CCCCX. summo factum fuisset studio.

§. XXIII. Scio quidem Bilibaldum Pirckheimerum in *perbrevi Germaniæ ex variis scriptoribus explicatione*, quem postea secuti sunt alii, & in his Johannes Angelius Werdenhagen *Syntagmate de Rebuspubl. Hanseaticis parte III.* augurari, *Mesuvium* illud, cujus mentionem facit Ptolomæus Alexandrinus, idem plane esse cum Magdeburgo nostro. Verum trophæa illa Drusi, quibus annumeratur Mesuvium, ubinam fuerint posita,

Historici certant, & adhuc sub judice lis est.

Alii enim sedem illis assignant non ad Albim, sed ad Visurgim; alii vero aliorsum referunt: de quo nunc accuratius dispicere, nostri non est propositi. Videatur interea Petrus Bertius *lib. I. Commentarii rerum Germanicarum cap. XXI.*

§. XXIV. Sed ut ad nomen urbis redeamus, sunt qui putant, non male illud derivari ab Editha Ottonis Magni conjuge, ut pote quæ a marito suo impetrarit, ut nova urbs hoc loco conderetur, cum antea tantum vicus, aut sola arx ibidem habuerit, aut etiam eversa pridem, per Editham fuerit restaurata.

§. XXV. Ad hanc sententiam referre possis illa Krantzii Metropol. lib. I. cap. III. *Hunc locum Otto Magnus postea insignivit ad instantiam Edittæ reginæ: celebrem ex oppidulo urbem fecit.* Ac ista lib. III. cap. X. *Cum rex Otho, deprecante uxore Editta, Angliæ regis filia, quæ Albi flumine delectaretur, ut in loco Magdeburg urbem exædificaret, nundinis donaret ad invitandos mercatores: ubi rex annuit, ipsa jussit aratrum duci, valla & muros designari.*

gnari. Concurrentibus ad novam immunitatem plurimis, incredibile est dictu, quam brevi coaluerit. Idem Saxoniæ lib. III. cap. XXIV. ſcribit: *Per quæ tempora Editta regina poſtulavit, & impetravit ab Ottone rege, ut ad Albim fluvium veterem urbem, ſed diu deſolatam ab incurſione Wandalorum, Magdeburgum inſtauraret, & ipſi reginæ manſionem ibi permitteret. Deſignatis autem terminis juſſit regina vallum circumduci. Rex forum indixit, & profecit urbs nova vehementer, ut fieret non contemnenda civitas.* Seqvuntur recentiores magno numero, ex quibus nunc ſuccurrunt Henricus Buntingius & Sethus Calviſius in *Operibus Chronologicis*, Dreſſerus *de Germaniæ Vrbibus*, Stephanus Ritterus in *Cosmographia Proſometrica*, Michael Sachs in *Chronico Cæſareo*, Petrus Bertius *lib. III. Comm. Rer. German.* cujus verba non indigna cenſeo, quæ adſcribantur. *Ego ad Editham Othonis I. conjugem, filiam Echtmundi Anglorum Regis hoc totum referre malim. Hæc enim locum iſtum, quod eſſet dotalitius, quodque ipſa amœnitate & commoditate ejus delectaretur, dilexit. Precibus ergo contendit ab Imperatore marito, ut ſibi urbem illic condere liceret; neque id difficulter impetravit. Mulier ergo in agro dotali urbem conditura, unde potuit nomen commodius petere, quam a ſuo ſexu, & quidem ſui ſexus flore? Vocavit igitur Magdeburgum, plane ac ſi dicas* παρθενόπολιν, *& ſignum urbi dedit virginem in arce ſtantem cum ſerto virginali.*

§. XXVI. Quia tamen alii (uti patebit inferius) id ipſi Ottoni marito Cæſari adſcribunt; facile hæc licuerit conciliare, ſi, quod illo favente ac conſentiente ab Editha factum, ipſimet tribuatur. Edithæ ſane ſtudium in eo fuiſſe magnum, vel ex ipſo Ditmaro Mersburgenſi apparet,

cujus

cujus verba postea afferemus. At enim quia jam Caroli Magni ævo Magdeburgi nomen inclaruit, non utique ab Editha primum id licuerit arcessere.

§. XXVII. Rem autem se non habere aliter, ex Caroli Magni Capitularibus demonstrabimus. Sic enim legas in Capitulari II. anni IↃCCCV. tit. VII. De negociatoribus quousque procedant. *De negociatoribus, qui partibus Sclavorum & Avarorum pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxoniæ usque ad Bardenwich, ubi prævideat Hredi, & ad Schesla, ubi prævideat Madalgoz. Ad MAGADOBURG prævideat Hatto. Ad Erpisfurt prævideat Madalgaudus.* Eadem repetuntur in Capitulari Carolino ejusdem anni III. tit. IX. in editione novissima Stephani Baluzii. Repetit eadem, sed decurtata paulum, Ansegisus lib. III. Capitularium, cap. VI.

§. XXVIII. Minimum igitur ipse ille locus, ubi situm est Magdeburgum, jam id nominis habuit, ac quadamtenus inclaruit Carolino ævo, ineunte sæculo IX. nec id demum sæculo decimo ab Editha Ottonis Magni conjuge impetravit. Quo autem rerum statu tum temporis fuerit Magdeburgum, nemo fortassis liquido ostenderit. Id scimus, locorum ab Imperatore Carolo designatorum curam certis quibusdam Missis, hoc est, legatis, sed plerumque extra ordinem cum certo imperio missis, commissam esse. Et illorum quidem unus fuit Hatto, cui Magdeburgi & provinciæ finitimæ procuratio, & *provisio* credita.

§. XXIX. Quandoquidem vero tales Missi, si stata eorum foret, ac diuturnior procuratio, multo magis autem ordinarii Comites, opus haberent certa ac stabili mansione; ac Hattonis quidem, quem ipse nominat Carolus,

tum temporis fuisse Magdeburgi, vero simile sit; parum abest quin quodammodo munitum crediderim hujus loci burgum, idque ob vicinos Slavos Saxonibus & Francis Saxonum dominis infestos. Quo ipso caderet Conringiana conjectura, Exercitatione *de Vrbibus Germanicis* §. LXXXIV. proposita, *vicum* tantummodo *nullis licet mœnibus, sed commerciis celebrem*, fuisse Magdeburgum. Enimvero licet ætate Caroli Magni Saxonia vel nullas, vel rarissimas habuerit urbes; *burgos* tamen, hoc est, castella præcipue in montibus & collibus munita ibidem non defuisse, certo certius est.

§. XXX. Non igitur mirum, aliquos in eam venisse opinionem, ac si Burggraviorum Magdeburgensium origo ad ipsa tempora Carolina possit ac debeat referri. Sane ante Ottonis M. ævum Burggravium ibidem agnoscit Krantzius, in cujus jura successerit Editha regina. Quæ de eo affert Saxoniæ lib. III. cap. XXIV. subjicio: *Erat in eo loci ab olim arx non contemnenda, cui præerat Burggravius: sed eo tum mortuo pervenit illud præsidium ad reginam, brevique coaluit, ut haberet in donationem ab rege propter nuptias.* Et lib. IV. cap. VII. *Erat etiam Burggravius de Magdeburgo, qui regi permisit, ut eam arcem primæ conjugi donaret titulo propter nuptias.* Item Metropol. lib. III. cap. X. *Antiquissima memoria in Magdeburg erat munitissimum arcis receptaculum, circumpositis casalibus piscatorum in morem vici, aut oppidi non clausi. Arci præerat nobilitas Burggraviorum.* Dubitat tamen ibidem Krantzius, an hi Burggravii Saxonicæ, an Vandalicæ (rectius dixisset *Wendicæ*) fuerint originis. Sic enim pergit: *Qui* (Burggravii) *origine Saxones an Wandali fuerint, incompertum est.* Magis tamen inclinat in Saxones

nes. *Saxones fuisse,* ait, *libet credere, qui circumpositis Wandalis imperarent.* Ceterum de Burggraviis Magdeburgensibus alibi forte paulo accuratius agendi erit locus.

§. XXXI. Jam ubi Missi vel etiam Comites Francorum ordinarii egerunt, dubium non est, quin ibidem sua habuerint oratoria, quæ mox in ædes modicas, postea crescente pietate ac liberalitate Regum, Ducum, Comitum, subjectorum, in magnifica templa surrexerint. Atque hinc forte est, quod aliqui scripserint, a Carolo Magno Magdeburgi fundatam ædem S. Stephano sacram, quæ anno IↃCCLXXXII. a Wendis, Hunis & Bohemis excisa: ac cum restaurata esset paululum, sæculi sequentis anno XXIII. ab Hunis denuo fuerit vastata. Reperias hac de re nonnulla apud Dresserum, item Auctorem *Topographiæ inferioris Saxoniæ,* qui sua procul dubio debent antiquioribus.

§. XXXII. Verum quia ante annum quintum supra octingentesimum nulla Magdeburgi certa exstat memoria, sive de ædicula, sive de templo sæculo VII. ibidem condito, certi nihil affirmaveris. Ac multo minorem verisimilitudinis habet speciem, jam a Carolo Magno Magdeburgi Episcopatus cujusdam jacta fuisse fundamenta.

§. XXXIII. Reperias quidem aliquos, qui non in ipso oppido Magdeburgensi, sed Schidræ in Westphalia (hodie *Schier,* in Comitatu Lippiensi inter Steinhemium & Ludam) a Carolo Magno conditum tradunt Episcopatum, qui a Brunone & Tanquardo fratribus Saxoniæ Ducibus Vallerslebium, deinde ab Henrico Aucupe Frosam (oppidulum Magdeburgensis diœcesios) demum ab Ottone Magno Magdeburgum sit translatus. Hujus sententiæ quis primus sit auctor ambigo: eam tamen reperias in

Chronico Mindensi ab Henrico Meibomio edito verbis sequentibus conceptam. *Septimam Sciderensem* (Carolus M. fundavit Ecclesiam) *quæ est villa sub castro* Schwalenberg/ *in dominio Domini de Lippia. Quæ tamen post translata est in* Vallersleve/ *post in* Brose/ *tandem in* Magdeburg *per Ottonem Magnum, anno Domini DCCCCLXVII. transfertur, & Parthenopolis S. Mauritii nuncupatur.* Idem asserunt Wernerus Rolevinck *de Westphalorum situ, moribus, virtutibus & laudibus parte II. cap. VIII.* Krantzius *Metropol. lib. III. cap. XXVIII.* & *Saxoniæ lib. IV. cap. VII.* & plures alii a Celsissimo Auctore Monumentorum Paderbornensium laudati pag. CCII. Verum quia apud antiquiores hac de re nihil certi definitur, de hac toties repetita translatione merito dubitamus.

§. XXXIV. Quoniam autem ex iis, quæ jam paulo ante in medium sunt allata, satis patet, jam sub auspicia sæculi a nato Servatore noni non modo nomen habuisse, sed quodammodo floruisse Magdeburgum, revertimur ad quæstionem pristinam de nominis hujus origine.

§. XXXV. Et primo quidem hic certi nihil licuerit definire in tanta antiquitatum Saxonicarum caligine. Si quid tamen dandum conjecturis, a vero non adeo aberraverimus, si Krantzii sententiam a fabulis, quibus involuta ac incrustata, vindicantes, idolum quoddam fœmineum sub Veneris imagine ibidem cultum Magdeburgo nomen dedisse asseruerimus. Enimvero Saxones, & geminæ cum iisdem originis, Angli Deam quandam *Astar*, seu *Ostar* summa veneratione coluerunt, sub Veneris, ut existimo, nomine. Manent certe ejus rei in præsentem diem vestigia, sed pluribus ignota, cur Aprilis mensis Carolo Magno Germanisque omnibus Ostermonat sit dictus: & quid

causæ sit, ut festum Paschatos Ostern dicamus. Nam quod multi patriarum antiquitatum periti eandem vocem a resurrectione Domini, hoc est, Urstand / derivare nituntur, nimis longe videtur petitum. Rem omnem Venerabilis Bedæ absolvam verbis, qui libro *de Temporum ratione* cap. XIII. *Aprilis Eosturmonath*, inquit, *qui nunc Paschalis mensis interpretatur, quondam a Dea illorum, quæ Eostre vocabatur, & cui in illo festa celebrant, nomen habuit, a cujus nomine nunc Paschale tempus cognominatur, consveto antiquæ observationis vocabulo gaudia novæ solennitatis vocantes.*

§. XXXVI. Si quis tamen in Eliæ Schedii sententiam, Magdeburgum ab Amazonibus, bellicosis Germanorum fœminis ita dictam, concesserit; equidem non multum repugnaverim. Videatur ejus Syngramma *de DIs Germanis quartum cap. VI.*

§. XXXVII. At de ipsius urbis originibus si quisquam est sollicitus, is sibi persvadeat velim, jam Carolino illo ævo sive a Saxonibus conditum, & a Carolo Magno aut ejus Ducum aliquo occupatum, vel recenter a Francis constructum, fuisse castrum; quod procedente tempore auctis circa illud domibus & vicis in justam creverit civitatem. Hoc tamen quia quam maxime factum temporibus Ottonis Magni, eidem cum instauratio vel amplificatio debeatur, mirum non est ipsam quoque urbis structuram tribui.

§. XXXVIII. Neque heri aut nudius tertius opinio de condita ab Ottone M. Magdeburgo urbe nata est; sed jam ipso illo, quo Otto Magnus vixit, tempore, id testatus est Johannes XIII. Papa in aliquot bullis inferius adducendis: deinde sæculo XI. auctorem habet Ditmarum Mersburgensem Episcopum, cujus verba ex lib. II. Chronico-

rum

rum quæ adſcribantur, ſunt digniſſima. *Cujus* (Edithæ contectalis) *inſtinctu Magdeburgenſem ædificare cœpit civitatem, ad quam reliquias Chriſti Martyris Innocentii cum magno adduxit honore. Nam hanc urbem ob æternæ remunerationis gratiam, patriæque communis ſalutem & acquiſivit atque conſtruxit.* Nec alia ſub finem ejusdem ſæculi mens eſt Adamo Bremenſi Canonico, lib. II. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. VII. ſcribenti: *Ipſo tempore Magnus Otto, ſubjugatis Chriſtianæque fidei copulatis Slavorum gentibus, inclytam urbem Magdeburg ſuper ripas Albiæ fluminis condidit.* Adamum hunc ſeqvuntur & exſcribunt Helmoldus *Chronici Slavorum lib. I. cap. XI.* & Albertus Abbas Stadenſis in *Chronico ad annum* ɪↄccccʟxxɪ.

§. XXXIX. Quid? quod Sigebertus Gemblacenſis, qui itidem ſæculo XI. ac parte duodecimi floruit, ipſum annum conditi Magdeburgi numeret nongenteſimum nonum & trigeſimum (939): ad quem inter alia hæc annotavit in Chronographia ſua: *Rex Otto conſtruit urbem Magdeburch, quæ & Parthenopolis, id eſt, virginum civitas dicitur.* Pro hoc tamen anno aliis placet rotundus ſequentis anni quadrageſimi (940) numerus: ex quibus nunc habemus laudare Paulum Conſtantinum Phrygionem in *Chronico Regum rerumque*, Baſileæ edito anno cɪↄɪↄxxxɪv. & Abrahamum Bucholcerum in *Iſagoge Chronologica.*

§. XL. Forte igitur circa hunc annum præcipue inclaruit novus, aut potius renovatus Magdeburgi ſplendor, ut ob id ipſa urbis ſtructura in tempus illud referatur.

§. XLI. De renovato Magdeburgenſis civitatis ſplendore dixi. Nimirum eo ipſo fateor, me illorum accedere opinioni, qui Magdeburgum nequaquam ab Ottone conditam, ſed tantum inſtauratam volunt. Et ſic diſerte

Kran-

Krantzius *Wandaliæ* lib. II. cap. XXX. *Subactis autem & Christianæ fidei adactis Wandalorum gentibus, Magnus Otto inclytam urbem Magdeburgum super ripam Albis fluminis instauravit.* Quo forte referas, quod Otto Frisingensis scribit, Ottonem Magnum metropolin Magdeburgensem pluribus ornamentis decorasse.

§. XLII. Quandoquidem autem ab aliquibus ad Editham conjugem Ottonis id referri, supra ostenderimus, sciendum est, recte Krantzium ac juniores alios scribere, Magdeburgum hujus Edithæ fuisse dotalitium. Hoc enim designant verba sequentia in pluribus Ottonis Magni privilegiis: *Ob remedium animæ --- conjugis nostræ, cujus & prædictus locus dos fuit.*

§. XLIII. Paulo ante diximus, circa annum nongentesimum quadragesimum Magdeburgum videri ab Ottone restauratum. At pugnant cum hac sententia versiculi in *Chronico Mindensi*, quod una cum Hermanni Lerbecii *Chronico Comitum Schauenburgensium* edidit Henricus Meibomius: utpote qui Magdeburgensi structuræ annum assignant Ottoniani regni secundum, qui in annum hujus sæculi septimum & trigesimum (937) incidit. Sic autem habent illi:

Dum nongentenus ter denus ducitur annus
Extitit a Christo tunc Rex Magnus pius Otto
Magdeburg anno fuit hujus structa secundo.

§. XLIV. Hoc quidem negari nequit, Ottoni Magdeburgum suum jam a primis regni initiis curæ cordique fuisse: siquidem ibidem Ecclesiam novam in honorem S. Petri Apostoli, & sanctorum Martyrum Mauritii & Innocentii sociorumque Ecclesiam construxit, eandemque miris modis auxit, ac ornavit. Testantur hoc varia Otto-

nis diplomata: quorum quæ sunt ab Henrico Meibomio in calce *Annalium Witichindi* Corbejensis, & a Benjamine Leubero in *Disquisitione planaria de Stapula Magdeburgensi* edita, summam, alia vero quæ nondum in publicam lucem prodierunt, integra cum benevolo lectore communicabimus.

§. XLV. Sic igitur Otto Rex diplomate anno 937. ɔcccccxxxvii. mense Septembri conscripto testatur, *qualiter ob amorem Dei omniumque sanctorum in loco Magdeburg nominato Ecclesiam construere studuerit, sanctorum martyrum Mauritii, Innocentii sociorumque eorum patrociniis interesse, illorumque obsequia, quantum suppetit humanitas, inibi ut agantur cupiens; ad eosdem vero sanctos & ad usum nutrimenque congregationis illic eis servientis, ob memoriam Patris* sui, *& pro remedio animæ ipsius, venerandæque matris* suæ suique *& conjugis* suæ, *cujus & prædictus locus dos fuerit, & prolis* suæ, *omniumque debitorum* suorum, *nec non & Rudolfi Regis, qui* ipsi *Sanctum tradiderit Innocentium, consiliantibus* ipsi *Episcopis, qui tunc in præsenti fuerint, Friderico videlicet* (Moguntino) *& Adaldago* (Hamburgensi) *Archiepiscopis, itemq; Baldarico, Thiethardo, Ebergiso, Amalrico, Burchardo, Bernardo & Amelungo* (hi forte Comites fuere) sequentia *suæ proprietatis* bona in *proprium dederit. In pago Northuringia in Comitatu Thietmari in Magdeburg curtem* suam *cum ædificio, & territorium illuc pertinens, cum omnibus locis ex Occidentali parte Albiæ fluminis, ad eandem Civitatem pertinentibus vel servientibus, cujuscunque sint benefieia, hoc est: Fridemaresleba, Pretalize, Buchavi, Frose, Rothardesdorp, Liemindesdorp, Tietherisdorp, Otteresleba, Osterwettinga, Suldorp, Imenwettinga, Istatesdorp, Dudulon, Watenesweg,*

Man-

Mantesleba, Wytherichesdorp, Vnundiscumburg, Bizzunci, Lieboldesdorp, Trumsitze. Quatuor hobas in Valcdorp, & quicquid ad præfatum locum pertinens habuerit ex aquilonari parte Horaha fluminis in locis ita nominatis, Mosano, (Mose) Pelnusi, (Pelnitz) Dudisi, Zuobaro, (Wizoboro) Welbuchi, Zelici, & in Comitatu Geronis in Bigera tres familias litonum, & in Comitatu Christiani in Grimberesleba XV. familias Slavorum, & omnem censum ac venationis acquisitionisque decimam in Mortsani & Ligzice & Helveldui præfatæ congregationi concedit, & liceat ut in eis ligna & herbæ in usus sint, & porci saginentur: prætereà omnes præfatorum locorum familias cum cunctis ad hæc jure pertinentibus, mancipiis, ædificiis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve discursibus, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, jure perhenni in proprium dat: & condonat eidem congregationi, ut familiæ eorum coram nullo nisi Advocato eorum justitiam secularem cogantur exercere, & nulli nisi eidem congregationi servire, & illa, nisi Deo & sanctis ejus, nisi tantum singulis annis unum cavallum, scutumque & lanceam, vel duas crusinas (pallii seu vestis genus; forte eine Krause) dent, ut sciant in mundiburdio (tutela) Regis se esse. Electionem quoque eis concessit Abbatem inter se eligendi, & Advocatum, quemcunque velint, Abbatem tamen dignum. Et ut hæc suæ traditionis auctoritas plena vigeat firmitate, jussit hoc præceptum conscribi, per quod sanxerit, ut nullus successorum vel heredum suorum temere illud præsumat infringere. Et si ullus homo in iisdem rebus aliquid injuriæ facere præsumserit, summi Judicis vindictæ subjaceat, iramque prædictorum Martyrum incurrat. Et ut hoc a fidelibus suis verius credatur,

mann sua *subtus illud firmavit, & annulo* suo *signari præcepit. Data XI. Kalend. Octobr. anno* (uti dixi) *Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVII. Indict. XI. anno vero Ottonis piissimi Regis II. Actum in Magdeburg civitate in Dei nomine feliciter Amen. Poppo Cancellarius ad vicem Friderici recognovit.*

§. XLVI. Atque hoc primum est illorum diplomatum, quod Ecclesiæ in Magdeburg in honorem sanctorum Martyrum Mauritii & Innocentii structæ meminit. Primus cum Witichindi Annalibus id edidit Henricus Meibomius, (pag 117.118.) ac habetur quoq; in ejusdem Meibomii *Chronico Bergensi* ab Henrico Meibomio Henrici nepote τῷ πάνυ edito. Meibomianum exemplar secutus est Leuberus: (num. 1182.) sed apud utrumque mensis excidit, quem ex ms. perinde ac nonnulla alia restituimus. Et semel hic necessum habeo monere, quod locorum nomina in excusis & mss. non raro varient: quas varietates nonnunquam annotavero.

§. XLVII. Summam autem hujus diplomatis, ipsis illis, quibus conscriptum verbis, paulo fusius visum est repetere; quod non modo amplissimam exhibeat Ecclesiæ Magdeburgensi factam donationem, sed & de aliis illorum temporum, ac laudatæ Ecclesiæ antiquitatibus nos certiores faciat. Inter has omnino meretur observari, quod Otto Rex tam electionem ipsius Abbatis, quam Advocati (id quod forte suæ antea servarat potestati) per hoc privilegium collegio monastico resignaverit. Habetur quidem hoc ipsum diploma pro institutione sive fundatione Cœnobii Bergensis. Verum quia non alius ecclesiæ, quam de qua in aliis egit scripturis, mentionem facit, & diserte inter sanctos locum occupat Mauritius, merito hac de re dubito; certe amplius inquirendum existimo.

§. XLVIII. Paucis diebus post, nempe V. Kalend. Octobris, Otto Rex Magdeburgensi Ecclesiæ *telonium omne, quod in Magdeburg constitutum est, vel constituetur, in proprium dat, & concedit eidem congregationi, quod familia eorum coram nullo, nisi Advocato eorum, justitiam secularem cogatur agere.* Integrum diploma iterum habent Meibomius (pag. 117.) & Leuberus. (num. 1181.)

§. XLIX. Mense Octobri ejusdem anni complures familias tam libertinorum (sic enim liceat interpretari *litos*, quorum præ servis potior erat conditio) quam colonorum, ut & servorum seu Slavorum in variis pagis & villis eidem Magdeburgensi Ecclesiæ donavit ac dicavit. Integrum diploma Dorenburgi datum ita habet.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes & futuri, qualiter nos ad Ecclesiam, quam in Magdeburg construximus, & ad nutrimen plebis inibi Deo servientis res, quæ subnotantur, in proprium damus, h. e. in pago Norturinga in comitatu Cristani in Germersleve XII. familias colonorum & in Wolmersleve LXIII. familias inter servos & litos, & occidentalem simul cum ista orientali Wilmesleve. Damus in eod. pago in Comitatu Dithmari XII. familias Sclavorum, in villa Buchow & in Magdeburg una curtis & territorium, & tres familias colonorum & curtem nostram cum ædificio in ea stante, & in Knobartesdorp familias litorum II. & in Otterslebe familias III. & in Suldorp IIII. familias colonorum, & in Magdeb. IV. familias servorum, & quicquid in australi Tudulon habuimus, & totam marcam in altera Tudulon & in pago Vnimoti in comitatu Wigmari in duo loca Vrlaba & Ottingha, cum omnibus ad hæc pertinentibus, & decimam de eisdem locis ab

Adaldago nobis Archiepiscopo datam, & omnis census & venundationis & acquisitionis decimam, quæ nobis in Murtsam & Ligzitz & Heveldün debent, & liceat in eis præfatæ congregationis, ut & ligna & herbæ in usum sint, & porci saginentur, omnes præfatas familias simul cum territoriis, in quibus sedent, damus, & nulli nisi eidem congregationi serviant, & illa nisi Deo & sanctis, scilicet singulis annis tantum Regi unum caballum, scutum & lanceam vel duas crusinas dent, ut sciant in mundiburdio Regis se esse. Electionem eis concessimus Abbatem inter se eligendi & Advocatum quemcunque velint, Abbatem tamen dignum. Quod scripto roboravimus, manu nostra firmavimus, annulo nostro sigillari jussimus. Dat. V. Id. Oct. Anno Dominicæ Incarn. DCCCCXXXVII. Indict. XI. Anno Ottonis piissimi Regis secundo. Actum in Toremburg, amen. Signum Domini Ottonis invictissimi regis. Poppo Cancellarius ad vicem Friderici recognovi.

939. §. L. Anno IↃCCCCXXXIX. iterum perquamplures familias litorum, servorum & colonorum Magdeburgensi Ecclesiæ adscripsit. Nimirum in *pago Nordduringa in Comitatu Dietmari in locis ita nominatis*: In Magdeburg *familias litorum VII. col. I.* Otteresleba *familias litorum XIX. & colonorum II.* Harteratesdorp, *famil. litorum III.* Suldorp *familias colonorum IV. litum I.* In Intesleba *litorum XXIV. col. XV.* In Frosa *familias litorum XI. Sclavorum XXVI.* Prætulitse *famil. Sclavorum VIII.* Trumsitse *Sclavorum XX.* Witrihhesdorp *famil. Sclavorum XXIII.* Pizzenitse *Sclavorum VII.* Fridumeresleba *famil. Sclavorum LVI.* In *eodem pago in comitatu Geronis in locis ita dictis*: Biere *litos III.* In Vnnesburg *famil. II.* Svanuburgon *litos & colonos XX.* Integrum diploma VII. Idus Junii Magdeburgi perscriptum exhibet Leuberus

rus, (num. 1590.) & in eodem repetitur concessio de electione digni Abbatis, ut & Advocati.

§. LI. Anno IↃCCCCXLI. Magdeburgensi Ecclesiæ non modo jam pridem dicatos vectigalium reditus confirmavit, sed & quæ ex censu monetæ ad Regis commoda spectabant, eidem addixit. Verba diplomatis huc pertinentia apud Meibomium (pag. 119.) & Leuberum (num. 1184.) ita sunt concepta. *Pro Dei amore ac pro salute animæ Domini genitoris nostri Heinrici Regis cæterorumque nobis junctorum affinitate consangvinitatis, regnique nostri statu, & conjugis prolisque nostræ incolumitate fratribus in loco Magdeburg nominato, ad servitium Dei sanctorumque Martyrum Mauritii atque Innocentii a nobis congregatis, totum quod a Vectigali & telonio, vel moneta ejusdem loci venire potuit, ex hoc in antea ad usus illorum hoc Imperiali regiæ autoritatis præscripto, jure perenni proprium concessimus.* Perscriptum hoc est diploma Magdeburgi V. Kalend. April. 941.

§. LII. Porro eodem anno, præcipue in usum pauperiorum hospitum in monasterio liberalius tractandorum donavit eidem Ecclesiæ propria sua bona in villis Vplingen, Roresheim & Nottorp. Diploma hac de re confectum subjicimus. 941.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Si quibuslibet donis loca Deo dicata ditaverimus, non solum ad temporalem vitam feliciter transigendam, verum & ad æterni tripudii palmam promerendam nobis profuturum veraciter credamus. Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam & futurorum industria, qualiter nos pro Dei amore animæque nostræ remedio, nostri etiam sospitate regnique stabilitate, ad monasterium, quod Deo sanctisque martyribus Mauritio

atque

atque Innocentio construximus, quicquid infra marcam hic nominatarum villarum Vplingi, Roresheim & Nethitorp proprietatis habuimus in pago Hardaga in comitatu Ditmari in hospitales recipiendorum usus pauperum jure perhenni in proprium donavimus, cum omnibus adjacentiis & appenditiis suis illuc legaliter aspicientibus, quantum nostri inde fuit, mancipiis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, mobilibus, & immobilibus, omnia ad cœnobium Deo pro veneratione prælibatorum Martyrum Mauritii videlicet & Innocentii, in loco qui dicitur Magdeburg a nobis fundatum, in prædictos usus hospitalitatis pauperum contulimus. Jussimus quoque hoc præceptum inde conscribi, per quod regia potestate sancimus, ut nullus successorum nostrorum ullam habeat potestatem nostrum donum infringendi. Et ut inviolabilis hæc traditio per succedentium temporum curricula observetur, manu nostra subtus illud firmavimus, & annulli nostri impressione corroborari præcepimus. Dat. VIII. Idus Augusti Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXLI. Indictione XIV. Anno Domini Ottonis Serenissimi Regis VI. Actum in Magdeburg in Dei nomine, amen. Signum Domini Ottonis invictissimi Regis. Brun Cancellarius ad vicem Friderici Archicapellani recognovi.

§. LIII. In iisdem villis Eberhardus quidam Ottonis vasallus certa habebat bona. His quoque ut Magdeburgensis ornaretur Ecclesia, Rex per cambium effecit, ac tum donationem suam sequenti scriptura confirmavit anno
944. IϽCCCCXLIV.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam & futurorum industria, quod nos pro salute

animæ

animæ nostræ, fratribus monasterii in honorem Sancti Petri Apostolorum Principis, beati quoque Innocentii Martyris in civitate Magdeburg nuncupata a nobis constructa prædium omne quod ab Eberhardo quondam nostro Vasallo concambii jure obtinuimus, videlicet quicquid idem ipse in subnotatis hactenus villis habebat proprietatis, Nethitorp (Nebedorff) *Roreshem, Vppelinga, hoc regali præcepto donamus in proprium cum omnibus suis illuc jure pertinentibus ædificiis, mancipiis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, manu nostra signata annuli nostri impressione roborato. Acta II. Idus Febr. Anno Incarnationis Domini DCCCCXLIV. Indictione II. Anno Domini Ottonis VIII. in loco qui dicitur Botfelda. Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis. Brun Cancellarius ad vicem Friderici Archicappellani recognovi.*

Inter diplomata a Cl. Oleario mecum commu- 946.
nicata aliud itidem habetur de iisdem villis , anno ɪↄccccxlii. datum: sed quia cum hoc ipso in plerisque convenit, nisi quod matris Eberhardi *Helmburg* in eo fiat mentio, a descriptione ejus abstinui.

§. LIV. Anno ɪↄcccccxlvi. quicquid proprii in villis Hundesburg, Brunnen, Bischofstorp, Macksted, Trutlingen, & Adestanstede Rex Otto habuit, monasterio Magdeburgensi resignavit per sequens diploma.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente Clementia Rex. Quæ locis Dei dedicatis nomini religionis gratia contulerimus, nobis nostrisque pro quibus hoc agitur debitoribus æterna recompensari palma incunctanter confidimus. Proinde in elemosina Domini ac genitoris nostri Heinrici Regis & nostra, nec non pro anima

dilectissimæ conjugis nostræ Edgidis, usui fratrum Magdeb. cœnobii, quod in honorem Beati Petri principis Apostolorum, sanctorum Martyrum Mauritii atque Innocentii construximus, quidque hactenus nostræ proprietatis in subtus nominatis habuimus locis, Vunesburg, Brunnen, Biscopstorp, Mackstede, Trullinge, Adestanstede, in pago Northuringi nuncupato, in comitatu Geronis, sancientes anniversarium ejus venientibus inde reditibus jugiter elemosinis agi perpetualiter in proprium donavimus cum mancipiis omnibusque appendiciis suis, hoc præcepto manu nostra signato & annuli nostri impressione roborato. Dat. IV. Kal. Februarii, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXLVI. Indictione IV. Anno X. regni Ottonis Serenissimi Regis. Actum in Godeburg, (forte *Madeburg*) *palatio regio in Dei nomine feliciter amen. Signum Domini Ottonis invictissimi Regis. Bruno Cancellarius ad vicem Friderici Archicapellani recognovi.*

§. LV. Eodem anno Otto Rex a Bernhardo Halberstadensi Episcopo bona quædam impetrat aliis bonis redemta, quæ mox adscribit Magdeburgensi suo monasterio. De eo docemur ex privilegio Leuberiano: (num. 1593.) ex quo scilicet patet, quod Otto Ecclesiæ Magdeburgensi donaverit *infra scripta bona, quæ a Bernhardo Episcopo Halberstadensi cum consensu cleri, & advocati ejus traditione, consentiente etiam Friderico Archiepiscopo* (Moguntino) *pro decem mansis in Widenehuseno marco* (Winedehusono marcho) *& VII. in Westerwaltinga, quos restituerit Ecclesiæ Halberstadensi, acceperit. Videlicet in pago Northuringia in Comitatu Geronis quicquid in Magdaburgara-marco pertinens habuit ecclesia ad S. Stephanum in Halverstad in territoriis, & mancipiis, omnique re, & decimam de homi-*

nibus

nibus ejusdem Magdeburgensis ecclesiæ in locis sic nominatis Magdeburg, Frosa, Mantesleba (forte *Wantesleba*) *Hartaradesdorp, Dudulon: item* (aliud) *Dudulon, Istatesdorp, Imewattinga, Osterwattinga, Suldorp, Ottoresleba, Apendorp, item* (aliud) *Apendorp, Ruodhardesdorp, Buchwi, Predalize, Fridumaresleba, Trumsice, Witirichesdorp, Lioboltesdorp, insuper & popularem Ecclesiam in Magdeburg.* Sequitur subscriptio; *Brun Cancellarius ad vicem Fridurici Archicappellani recognovi. Data IV. Kl. Aug. Anno incarnat. Domini DCCCCXLVI. Indict. III. Anno Domini Ottonis X. Actum in Magdeburg.* Sed apud Meibomium pag. 119. & in codice ms. Olearii longe aliter habet illa subscriptio; nempe hoc modo; *Dat. IX. Kal. Maji. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLI. Indict. XIV. Anno Ottonis Regis V. Actum in Magdeburg amen. Signum Domini Ottonis Invictissimi Regis. Poppo ad vicem Friderici recognovi.* Quia igitur duo diversa diplomata de eadem donatione sunt concepta, forte jam anno primo & quadragesimo ea de re actum, sed demum quinquennio post confectum fuit negotium. Singulariter quoque est notandum, hic ab Ottone Rege laudari *popularem Ecclesiam in Magdeburg:* quæ quo loco fuerit sita, ac quibus dicata Sanctis, mallem ab aliquo antiquitatum Magdeburgicarum gnaro doceri.

§. LVI. Succedit annus IↃCCCCXLVII. quo Editha conjux Ottonis supremum diem obiit, ac Magdeburgi 947.
sepulta est. De eo Auctor continuati Chronici Reginonis: *Domina Edgid regina obiit, quæ maximo Regis omniumque suorum planctu Magdeburg sepelitur.* Et Ditmarus Episcopus Mersburgensis lib. II. *Fuit hæc (Edith beatæ memoriæ) cum viro suo X. & IX. annos, & ordinationis suæ obiit XI.*

anno, VII. Kal. Febr. unicum relinquens filium nomine Luidulfum, cunctis virtutibus fulgentem: sepultaque est in civitate præfata (Magdeburgensi) *in majori Ecclesia in oratorio aquilonari.*

948. §. VII. Sequenti anno Otto Rex bona quædam hactenus ad monasterium Herolvesfeldense (*Hirschfeldense* postea nominari cœpit) pertinentia, ab Haganone Abbate per cambium accepta Magdeburgensi monasterio attribuit. Scilicet (ut habent ipsa diplomatis verba in Leuberianis num. 1594.) *Omne prædium hactenus ad monasterium beati Wicberti confessoris Christi in loco Herolvesfeld dicto pertinens, in villa Vurmaresleva, ecclesiamque inibi constructam in pago Hosgowe: aliam quoque in villa Widerstetinuncupata cum omnibus ad eas pertinentibus decimis, quæ sunt in septentrionali parte rivuli, qui dicitur Vulderbach, concambii jure ab Haganone venerabili ejusdem monasterii Abbate pro prædio ei collato: In orientali Francia in villis Buochweride, Rizzestat, Karoldesbach, Swarzaha, Stillaha, nominatis: Et in occidentali Francia Erlibach, Bommaresheim, Suliburg, Furbach, Hurnaffa: In Thuringia Huochtricheshus* (procul dubio est *Ichtershusium*) *Anglendorph, Amalungesdorph, Stuchesfurst, ad Sanctum Petrum principem Apostolorum & ad Sanctum Innocentium atque Mauritium, ad stipendia fratrum in loco Magideburg Deo illisque sanctis servientium concessit.* Facta est hæc scriptura Magdeburgi III. Kl. Aprilis. In Leuberianis quidem & ms. nostro hoc diploma ad annum præcedentem refertur: sed perperam id fieri, ex adscripta *Indictione VI. & anno regni Ottoniani XIII.* apparet.

§. LVIII. Ex eo quod Otto in Italica expeditione externis potissimum rebus distentus esset, in augenda Magde-

deburgensi Ecclesia aliquamdiu nobis videtur quievisse. Certe ad annum IↃCCCCLIII. nullum ab eo in gratiam Magdeburgensium perscriptum reperio privilegium. Ceterum quod hoc ipso anno prodiit, quo varias villas Slavicas & Thuringicas monasterio Magdeburgico assignat, quia Meibomius & Leuberus valde multilum ediderunt, nos ex ms. cod. dabimus integrum. 953.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes sicut & futuri, quod nos pro remedio animæ nostræ, nec non dilectæ conjugis Adelheide, prædium, quod Bilingus quidam noster miles nobis tradidit proprietate nostra, quam illi donavimus in patria Sclavorum, & in Thuringia, ad monasterium nominatum Magdeburg, quod construximus in honorem Domini nostri Iesu Christi, & Sancti Petri principis Apostolorum, nec non & sanctorum Martyrum Mauritii atque Innocentii, ad usum monachorum inibi Deo famulantium in locis subnominatis, id est, Hildeshusen cum tota marca & Helisungen, Herisle (Ms. & L. Herisci) *Dasingaroth, Gelethe,* (Gelrichi) *Winlibenhusen* (Willenhusum) *Agestorp, Guttingi, cum omnibus ad eandem proprietatem pertinentibus, pratis, pascuis, agris, sylvis, aquis, piscationibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, cultis & incultis, mancipiis, ædificiis, curtilibus, jure perenni donavimus. Quæ omnia hoc scripto ad præfatum monasterium firmavimus, & manu propria corroboravimus, ac annulo signari jussimus. Acta anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLIII. Anno Domini Ottonis Serenissimi Regis XVIII. Actum Khidilingaburg.* (Quedlinburg) *Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis. Brun Cancellarius ad vicem Friderici Archicapellani recognovi.*

§. LIX. Amita Ottoni erat nomine (nisi nos fallit librarius) *Vota*. Hæc circa Daventriam, non ignobilem hodie Belgii fœderati urbem, & in ipsa urbe possessiones quasdam habuit non contemnendas: quas cum Ottoni Regi traderet, is Magdeburgensi monasterio, pro remedio animæ suæ, conjugis Edithæ, omniumque parentum (majorum) suorum, nec non pro stabilitate & incolumitate re-
954. gni anno IↃCCCCLIV. dedicavit. Sic igitur, ut ipsa habent diplomatis a Leubero (num. 1595.) repetiti verba; *Omne prædium cum cunctis ad hoc jure pertinentibus, situm in loco Davindre & infra urbem & extra, in pago qui dicitur Hamalant, in comitatu Wigmanni, quod ipsi sua amita mulier Deo* sibique *devota, nomine Vota tradidit, ad monasterium Magdeburg constructum, donavit; quatenus cœnobitæ in præfato Magdeburg commorantes, omni curarum molestia destituti, Deo placiti existant famulatores, sui, omnisque Christiani instantes ad Regem regum sint deprecatores.* Donatio hæc scripta est in Francofurtensi palatio III. Kal. Januarii feria V.

955. §. LX. Qui sequitur annus nongentesimus quintus & quinquagesimus summe memorabilis est, ob faustum illud Ottonis Magni cum Vngaris in Bojariæ campis Lechfeldensibus habitum prælium; quo *in tantum illi* (ut loquitur Sigebertus) *victi sunt & attenuati, ut ultra jam nec mutire ausi fuerint.* Legendi hoc de prælio Witichindus *Annalium lib. II.* Ditmarus Mersburgensis *lib. II.* Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Auctor Appendicis ad Chronicon Reginonis, Otto Frisingensis *Chronic. lib. VI. cap. XX.* Andreas Presbyter Ratisbonensis in *Chronico de Ducibus Bavariæ*, Theodoricus a Niem in *Nemore Vnionis Tract. VI. cap. XXXIII.* Aven-

Aventinus *Annal. Bojorum lib. V.* Andreas Brunnerus *Historiæ Bavaricæ lib. VIII.*

§. LXI. Neque vero fas erat in antiqua Magdeburgensi historia prætermittere hoc ipsum prælium: siquidem multorum mentibus inhæret opinio, ac si demũ post hanc pugnam Magdeburgensis Abbatia ab Ottone fuerit fundata. Et sane præluxit huic sententiæ illustris, ac istis temporibus vicinus scriptor Ditmarus Mersburgensis Præsul, qui historiæ illius prælii illico ista subjicit: *Interim Rex Saxoniam revisens lætus patriam, a cunctis Principibus a longe sibi obviantibus summis excipitur studiis, diuque expectatus a venerabili suimet genetrice profusis præ gaudio lacrymis, amplectitur. Quibus suum illico aperiens promissum, qualiter hoc ad unguem perduceret, eorundem ad hoc consilium enixe petiit & suffragium. His tandem id collaudantibus, piæque petitioni adspirantibus, statuit Rex Abbatiam in Magdeburgensi civitate, incipiens Ecclesiam mirum in modum in loco, ubi sancta requiescit Edith, & juxta quam post obitum suimet pausare desideraverat ipse.* Ditmarum sequntur recentiorum nonnulli, adduntque Ottonem cum Vngaris congressurum Deo & S. Mauritio vovisse, si victor evaderet, Ecclesiam se conditurum Magdeburgi, sanctoque Mauritio consecraturum, utpote quem milites, absente Imperatore, in Italia offendissent, violata quadam æde S. Mauritii. Videatur Dresserus *Isagoges Historicæ parte IV.* Atque idem *parte V. de præcipuis Germaniæ Vrbibus* sic scribit: *Anno 950.* (repone annum 955.) *ante conflictum cum Vngaris ad Lechum sponsione sese Deo obligavit Otho, se parta victoria templum splendidissimum Magdeburgi conditurum esse S. Mauritio. Cujus qui-*

dem voti compos factus animum statim ad erigendum templum cathedrale in urbe Magdeburga appulit.

§. LXII. At enim si demum post acerrimum cum Vngaris conflictum hanc Abbatiam Magdeburgicam fundavit Otto, quid facies tot diplomatis antea in medium allatis, in quibus jam fundatæ ac constructæ Abbatiæ fit mentio? ut taceam diu ante inter alios Sanctos Mauritio dicatam hanc fuisse Ecclesiam, quam vel de hoc prælio Otto cogitaverit, ne dum illud confecerit.

§. LXIII. Discrepantes igitur scriptorum sententiæ conciliari non incommode posse videntur Meibomio in *Monasterii Bergensis Chronicis*, si credamus, Ottonem Augustum mature de condendo monasterio consilium cepisse, aliquid etiam conatum, sed bellis civilibus, aliisque impedimentis intervenientibus ante victoriam contra Vngaros pium negocium conficere non potuisse. Quam viri celeberrimi conjecturam uti non plane improbo; ita una cum æde sacra monasterio & Abbatiæ locum jam fuisse, sed post hanc pugnam novis accessionibus aucta, imo novæ prisca longa præstantioris atque splendidioris ædis fundamenta fuisse collocata censeo.

§. LXIV. Qvid? quod non Abbatia modo pridem fuerit Magdeburgi, sed & Abbas ipse nominetur Anno, honesta apud Cattos familia natus, vir spectatæ doctrinæ atq; integritatis. Hunc enim ex antiquissimo S. Maximini ad pervetustam Trevirorum urbem familiæ Benedictinæ cœnobio cum illustribus quibusdam sodalibus in Saxoniam vocatum comiter Otto Cæsar excepit, benigne tractavit, multisque affecit beneficiis, traditis ei regiæ stirpis procerũ filiis, moribus & pietate instruendis. Sequimur iterum hac in re Meibomii *Bergense Chronicon*, ubi etiam Tritthemium secta-

sectatus adventum Abbatis collocat in annum IↃCCCCXL. eundemque ex ms. Chronico Magdeburgensi quatuordecim annis gregi præfuisse commonstrat. Interea quia jam anno hujus sæculi septimo & trigesimo collegium monasticum ab Ottone Rege potestatem novum Abbatem eligendi acceperat (id quod superius fuit ostensum) aut ante Annonem alius fuisset Abbas, aut ejus vocatio ac adventus diuturna comperendinatione fuissent extracta.

§. LXV. Post illam autem pugnam Vngaricam non modo de novo ac magnifico Magdeburgensis Ecclesiæ ac monasterii ædificio sollicitus fuit Otto Magnus: verum id etiam perquam studiose egit, ut Magdeburgensem Ecclesiam in cathedralem sive Episcopalem efferret. Ac procul dubio suo satisfecisset desiderio, nisi, qui tum Halberstadensem agebat Episcopum, BERNHARDVS, Sigismundi successor, in cujus diœcesi erat Magdeburgum, magna cum animi contentione Ottoni fuisset adversatus. Denuo hanc notitiam Ditmaro debemus Præsuli, qui verbis paulo ante adductis hæc subjungit: *Ibi etiam Episcopatum facere conatus apud Bernhardum sanctæ Halberstadiensis Ecclesiæ Antistitem, in cujus diœcesi urbs præfata jacuit, quamdiu ille vixit, impetrare non potuit.* Nec aliter Chronicon Magdeb. ms. *Otto partem parochiæ Halberstadensis, ad quam civitas illa cum suis adjacentiis pertinuit, a Bernhardo ejusdem Ecclesiæ Episcopo septimo, quoad vixit, impetrare non valuit.* Gobelini etiam audiamus Cosmodromium ætate VI. cap. XLVIII. *Otto Rex volens in Magdeburg Episcopatum instituere, apud Bernhardum Episcopum Halverstadensem, in cujus diœcesi erat Magdeburg constituta, multum instabat, ut ad hoc consensum suum sponte adhiberet:*

sed Rex non potuit ejus consensum obtinere. Vt & Pauli Langii chronicon Citizense: *Videns* (Otto Imp.) *diœcesim sive Ecclesiam Halberstadensem valde amplam & opulentam, ita ut in quatuor competenter partiri posset episcopatus, consilio prudentum & religiosorum, aliquot episcopatus in ea decrevit proposuitque instituere. Ast resistente ei ac contradicente Bernhardo Halberstatensi episcopo, venerabili valde viro & sancto, cujus in diœcesi locus ipse situs erat, perficere eo vivente non potuit, quandoquidem eo tempore tota erga Magdeburg pariter & Merseburg vicinia ad Halberstadensem pertinuit diœcesim. Videns ergo Imperator constantiam præsulis, quod nec minis, neque blandimentis in divisionem sui induci potuit episcopii, patienter & longanimiter tempus præstolabatur opportunum.* Quin imo tanta hujus Episcopi fuit pervicacia, ut nec propositis præmiis, nec precibus, nec minis a sententia potuerit revocari. Neque carcerem propterea reformidavit subire Quedlinburgi, ac in ipsis vinculis non modo restitit Ottoni, sed & pontificali habitu indutus non dubitavit anathemate ferire Regem: qui primum cachinno virum excipiens, re amplius pensitata, libertatem ei indulgens, suo uti permisit ingenio.

§. LXVI. Tetigimus hoc jampridem in *Episcoporum Halberstadensium historia:* nunc vero Krantzianam hac de re narrationem afferemus ex Metropol. lib. III. cap. X. *Tum Rex prosperatum videns novæ molitionis opus, de religione cogitavit: episcopum ibi, imo metropolim designare constituit, Vandalis ad finem Christi multiplicatis. Deerat territorium, quod e vicino totum Halberstadensis episcopatus implevit. Egit Rex primum placide cum Bernhardo Episcopo, ut cederet partem ditionis novo episcopatui. Ille renititur, ecclesiam suam multiplicare, non attenuare, sibi esse*

esse præceptum impositum. Quid multa? ubi non svasionibus, non precibus profecit, vi pro more regum agere contendit: jussit captum episcopum incarcerari. Ille patienter omnia suffert, priusquam jura suæ attenuari patiatur ecclesiæ. Rex moram interponit, ut mansvescat ex tempore: sed in eo nihil mutatur. Aderat sacra Jovis Dominicæ cœna: quasi chrisma consecraturus, jussit in carcerem dari pontificalia ornamenta; quibus indutus regem jubet acciri. Credens jam emollitum & malis perdomitum venit. Vbi astitit, episcopus inchoat. In nomine, *inquit*, supremæ Trinitatis, anathematizo te Rex, cum omnibus, qui te non deserendum putant, quod manum injeceris, & detines Christum Domini. *Rex cachinno excipiens, digreditur: altius tamen deinde descendit in pectus ejus pontificalis imprecatio. Et intra se reversus, misit qui episcopum laxarent, impetrata venia. Ita obtinuit episcopalis severitas, ne se vivo aliquid ecclesiæ detraheretur.* Eandem historiam graphice describit *Saxoniæ lib. IV. cap. VII.*

§. LXVII. Quandoquidem igitur ipse Otto constitutionem Episcopæ Magdeburgensis necessum habuit differre; nostrum quoque erit hanc tractationem in sequentia differre tempora; contemplaturi interim alia privilegia, quibus Otto Rex Magdeb. Ecclesiam beavit. Ipsis 956.
igitur anni IↃCCCCLVI. Kl. Jan. (sic habuit codex noster ms. nam apud Leuberum num. 1605. reperias annum sextum & sexagesimum) Schartau, Grabau & Buchau *(Sirtawa, Grabawa, Buchoe)* cum omnibus ad eas pertinentibus familiis earundemq; possessionibus perenni jure Magd. monasterio dicavit. Diploma exaratum est *Dalahemii:* loco forsan eo tempore sive in Magdeburgensi, sive Brunswicensi terra non ignobili. Non indigna lectu est Leuberiana de hujus donationis præcepto censura.

§. LXVIII. Hanc mense Junio excepit alia donatio, triginta scilicet *casarum*, sive domuum in urbe Daventria, & undecim mansorum circa urbem in comitatu Wicmanni sitorum, & aliorum octo in villa Tongern (*in villa quæ vocatur Tunegurum*) in comitatu Eberhardi. Privilegium Daventriæ scriptum exhibet Leuberus. (num. 1596.) Extrema computum annorum exhibentia subjicio. *Data VII.* (repone VI.) *Non. Julii. Anno incarnationis Domini DCCCCLVI. Indictione XIIII. regnante pio rege Ottone anno XXI. Actum in Daventria feliciter.*

959. §. LXIX. Anno IↃCCCCCLIX. ab Ottone aucta est Magdeburgensis Ecclesia diversis bonis, in pagis Helingen & Mosde (forte *Mortzan*: de quo videatur Meibomius in *de Pagis Saxoniæ*) sitis. Ipsum diploma hac conceptum est formula.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes scilicet & futuri, qualiter nos ad Ecclesiam quam in Magdeburg construximus, in honorem sancti Mauritii & ad nutrimen plebis inibi Deo famulantis, quasdam res nostræ proprietatis, hoc est, in pago qui vocatur Helinge & Mosde, in locis sic nominatis Buckstadin & Rinckhurst, in comitatu & legatione Henrici Comitis, omnem justitiam ac censum, qui Saxonicæ Mal vocatur, nec non & omnibus appenditiis, ibidem jure pertinentibus, ædificiis, curtibus, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis & inviis, quæsitis & inquirendis, cultis & incultis, mancipiis utriusque sexus, in proprium damus, & perpetuo jure possidendos: & hoc præsens indicium jussimus exinde conscribi, annulique nostri impressione muniri, subtusque manu propria firmavimus

mus, ut fidelibus nostris traditio nostræ largitatis firma & immutabilis crederetur. Data Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLVIII. Indictione II. Regnante Ottone piissimo Rege XXIV. anno, VI. Non. Julii. Actum Magdeburg. Signum Domini Ottonis Invictissimi Regis. Ludolfus Cancellarius ad vicem Wilhelmi Archicapellani recognovi.

§. LXX. In eundem annum referri deberet Leuberianum diploma XI. (num. 1597.) quo Otto *quasdam res* suæ *proprietatis, quæ ipsi tradiderunt pro concambio quidam fideles ejus Reding & Duodicho nominati, hoc est, omne prædium quod habere videbantur in locis sic nominatis, Brunon & Vnunesburg, Rodunfuordi & Buthunesdorp* (Buchusdorph) *cum curtibus, ædificiis, & terris salericiis* (pro *salicto* hoc verbum procul dubio positum) *campis, pratis &c. Præterea quandam villulam, quæ vocatur Gramaningerod cum omnibus appendiciis ad prædictam villulam pertinentibus, & in foveis, in quibus solebant fodere operimentum ferri, inconvulsum arbitrium quicquid ejusdem monasterii* (Magdeburgensis) *rectoribus libuerit fodiendi atque operiendi, seu in ipso heremo porcos saginandi.* Enim vero tam apud laudatum Leuberum, quam in ms. cod. Cl. Olearii hoc diploma præfert annum jamjam laudatum. At huic anno neque convenit, quæ additur, Indictio III. multo minus annus regni Ottoniani XXVI. Sicuti enim Indictioni III. respondet annus sequens sexagesimus, ita regiminis Ottoniani annus XXVI. anno Christi primo & sexagesimo.

§. LXXI. Anno ΙƆCCCCLXI. octavo Kl. Maji Otto 961.
Rex Magdeburgensi monasterio donavit decimas a Slavis quotannis Mageburgi solvendas, nec non alias Slavorum decimas ad civitates Frosa, Barby & Calba pertinentes. Vide diploma Leuberianum XII. Walahusæ (Wolohusin)

perſcriptum: (num. 1598.) ex cujus capite ac calce colligit Leuberus, laudato anno conſcriptum, ſed demum poſt plures annos confirmatum eſſe.

§. LXXII. Et ſane miror, ſequenti ſtatim die aliud diploma fuiſſe conſcriptum, quo eædem Slavorum, ſed & indigenarum decimæ in proxime laudatis civitatibus ſolvendæ, exceptis tamen illis, quæ Halberſtadenſi Epiſcopo debentur, cryptæ Martyrum noviter fundatæ addicuntur. Integrum diploma ex Ms. afferemus.

In Nomine ſanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Rex. Noverint omnes ſanctæ Dei Eccleſiæ fideles noſtrique præſentes & futuri, qualiter nos ob amorem Dei, regnique æterni manſionem, inſuper etiam pro ſalute noſtra ac ſtabilitate regni noſtri remedioque animæ noſtræ dilectæq; conjugis noſtræ Adalheide, atque amantiſſimæ prolis & æquivoci noſtri Ottonis, ad dotem criptæ Magdeb. in honorem ſanctorum Mauritii martyris, Valentini, Agapiti & Abundii ſacratæ, donavimus atq; tradidimus, illa decimatione excepta, quæ Epiſcopo Halberſtad. usque huc data eſt, omnem alteram decimationem, quam Theutoni vel Sclavi ad eandem urbem Magdeburg pertinentem perſolvere debent, nec non etiam omnium Theutonicorum vel Sclavorum decimam ad civitatem Froſa pertinentium, & illam quam Teutonici & Sclavi perſolvere debent ad civitatem Barbie pertinentem, & illam decimationem Teutonicorum & Sclavorum ad illam civitatem quæ dicitur Calva pertinentium, illa decima excepta, quæ usque huc in præfatis locis finibusque illorum Magdeburgo burgowarde & Froſeri burgowarde, Barburgeri burgowarde, Calveri burgowarde, reliquam omnem decimationem præfatorum locorum, ſicut Wilhelmus Moguntinenſis Eccleſiæ venerabilis Archiepiſcopus in noſtri præſentia

tia nostrorumque fidelium ad præfatam criptam determinavit, eidem criptæ in perpetuam dotem concessimus. Et ut hæc nostræ auctoritatis traditio per succedentium curricula temporum inconvulsa permaneat, jussimus hoc præsens præceptum conscribi, annuli nostri impressione roborari, manuq; propria subtus firmavimus. Datum IX. Kl. Maji, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXI. Indictione IV. Anno vero Regni Serenissimi Domini Ottonis XXVI. Actum Walahusen in Dei nomine, amen. Signum Domini Ottonis invictissimi Regis. Ludolphus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognovi.

§. LXIII. Paulo post Otto Magnus ad res Italiæ ordinandas Romam profecturus, urbem Sputinesburg *(nunc Rodemburg:* sic habet inscriptio) in pago Nusicensi sitam monasterio Magdeburgensi dedicavit. Ipsum diploma hujus donationis insigne testimonium subjicimus: in quo tamen nondum me capere fateor, quod Otto memorat se monasterium in Magdeburg construere velle: quod tamen post pugnam Vngaricam constructum diximus. Sed forte jam cœptum opus non multum invaluit, adeoque hæc verba non tam ad initia, quam complementum ædificii referenda.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Noverit omnium fidelium nostrorum præsentium & futurorum industria, qualiter nos modo ituri in Italiam cogitantes, pro statu & incolumitate Regni nostri dilectæque conjugis Adelheidis Reginæ, nostrique dilectissimi filii Ottonis, instinctu quoque & monitu Wilhelmi sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi, urbem Sputinesburg sitam in pago Nudiczi, quam Wichart in beneficium habet, ex integro cum omnibus appendiciis ad eandem urbem pertinentibus,

man-

mancipiis utriusque sexus, ædificiis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & quicquid beneficii ceteri fideles nostri in eodem burgiwardo habere visi sunt, ad monasterium, quod nos construere volumus, in civitate quæ dicitur Magdeburg, in honorem sancti Petri Apostolorum Principis, nec non sanctorum Martyrum Mauritii & Innocentii, jure perenni in proprium donamus. Et ut hæc nostræ traditionis autoritas plena vigeat firmitate, jussimus hoc præceptum conscribi, & annuli nostri impressione roborari: quam & subtus firmavimus manu propria. Datum VIII. Kal. Augusti Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXI. Indictione IV. Anno Regni Domini Ottonis Serenissimi Regis XXVI. Actum Ordorff feliciter. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Regis. Ludolfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani notavit.

§. LXXIV. Hoc privilegium ab Ottone Ordorpii datum esse, commonstrat subscriptio. Eodem loco uti ex Leuberiano apographo apparet, (num. 1599.) IV. Kal. Augusti aliud perscribi fecit de variis variarum civitatum decimis Magdeburgensi monasterio dicandis. *In regionibus* videlicet *& urbibus ita nominatis: Netelici in qua est civitas quæ Guncanston* (in Ms. habetur: *quæ Givikenstein:*) *nuncupatur: altera regio Netelici, ubi est Vurcine civitas;* (Wurtzen) *Queszici, in qua est civitas Ilburg: Siusile, in qua est civitas Holm nominata: Zitici, quæ habet civitatem Zurbici: Nudzici* (in Leubero conjunctim scribitur: *Zurbicinudzici:*) *ubi est Wittin civitas, & civitas Liubuhum* (Ms. *Liubichün*) *vocata, & Sputinesburg, Loponoh civitas, & Trebonizi, & civitas quæ dicitur Brandunburg; donavit atque tradidit omnem decimam in prænominatis regionibus*

ac urbibus, de fructibus ac omnibus utilitatibus, ex quibus Christiani decimam dare videntur, & ipsi persolvere debent, quandocunque per Dei gratiam Christiani effecti fuerint. Insuper hæc videlicet donavit atque tradidit ad præmemoratos martyres Mauritium & Innocentium in prænominato loco (Magdeburg) *in terra Kusici, Selpoli, Chozimi* (ms. *Thozim*) *decimam de omni censu & acquisitione vel* sua *vel Comitum, vel cujuscunq; ex sua regia potestate adquisitum fiat.*

§. LXXV. Eodem anno & die præter Gibichensteinium & Sputinesburg, plures alias ac luculentas possessiones Magdeburgensi monasterio liberaliter attribuit diplomate sequenti. Nam integrum adscribemus, quod apud Meibomium (pag. 121. 122.) & Leuberum (num. 1187.) valde est mutilum.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Rex. Noverint omnes fideles Dei nostrique, præsentes scilicet & futuri, qualiter nos pro remedio animæ beatæ memoriæ Domini patris nostri Henrici Regis, & pro incolumitate Dominæ matris nostræ Machtildæ Reginæ, nec non pro statu & incolumitate regni nostri, nostrique, dilectæque conjugis nostræ Adalheide reginæ, nostrique dilecti filii Ottonis, jam primo anno Regis, instinctu & monitu Wilhelmi sanctæ Moguntinæ sedis venerabilis Archiepiscopi, omnem regionem pagumque vocatum Neletice, omnemque utilitatem in eo manentem, urbem scilicet Givickanstein cum salsugine ejus, ceterasque urbes cum omnibus ad eas pertinentibus, aquis salsis & insulsis, terris cultis & incultis, mancipiis Teuthonicis & Sclavanicis, taleque prædium quale Winchart in beneficium habet, urbem Spitnesburg sitam in pago Nudisici, cum omnibus quæ ipse in beneficium habet, & per petitionem Dominæ matris nostræ Machtilde Reginæ, taleque prædium quale

Huodo in beneficium habet in pago Helmingowe in Comitatu Wilhelmi Comitis in loco Breitinga & Bernhardesrotha, cum omnibus ad ea pertinentibus, taleque prædium, quale Adalbertus Comes in beneficium habet in Comitatu ipsius, in pago Northuringorum, in locis sic nominatis Tunninsteti, (in alio dipl. *Nunstede) Flagitungen (Flechtingen) Wasserdal, Adinga, cum omnibus ad ea pertinentibus ad victum Clericorum monachorumque Magdeburg Deo servientium ad Ecclesiam sancti Petri Principis Apostolorum, Sanctorum Martyrum Mauritii, Innocentii, reliquorum Sanctorum inibi congregatorum in perpetuum proprium donavimus. Et ut prædictus Abbas illius monasterii suique successores & Clerici & monachi inibi Deo servientes liberam potestatem omnium prænominatorum locorum habeant utendi, recte commutandi, in beneficium dandi, cum omnibus ad ea pertinentibus mancipiis, terris, cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, silvis, pratis, pascuis, agris, molendinis, piscationibus, ædificiis, urbibus, Ecclesiis, exitibus & reditibus. Iussimus hoc præsens præceptum conscribi, annulique nostri impressione corroborari. Signum Domini Ottonis invictissimi Regis. Ludolfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognovit & subscripsit. Data IIII. Kal. Augusti, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXI. Indictione IV. Anno videlicet regni Serenissimi Regis Ottonis XXVI. Actum in Christi nomine feliciter. amen.*

962. §. LXXVI. Anno IↃCCCCLXII. Otto Magnus a Iohanne XII. Pontifice Romæ coronatus mansit in Italia in
965. annum IↃCCCCLXV. quo ordinatis Italiæ rebus in Germaniam revertitur, & pascha Ingelhemii prope Moguntiam celebrat. In hoc palatio Ingelnhemiano V. Kal. April. Ecclesiæ Magdeburgensi donat Calbam, quod est oppidulum

in diœcesi Magdeburgensi, & Rosburgum in Comitatu Barbyensi. Summa verborum hæc est in diplomate, quod Leuberus (num. 1600.) integrum, Meibomius (pag. 124.) mutilatum attulit. *Donavimus sancto Mauritio Martyri in Magdeburg duas curtes juris regni nostri, unam quæ vocatur Calva in pago Northuringorum sitam; alteram quæ vocatur Rosburg ultra Salam fluvium sitam in pago Sirimunti cum omnibus appendiciis tam in Ecclesiis, quam in ceteris ædificiis.* Et digna porro sunt quæ observentur verba: *Ex integro sancto Mauritio Martyri donamus, atq; ex nostro jure & dominio in jus sancti Martyris Mauritii atque Venerabilium Archiepiscoporum qui pro tempore fuerint rectores ejusdem sanctæ Ecclesiæ almi Martyris Mauritii largimur atque transfundimus, ut eidem sanctissimo loco in perpetuum firmiter permaneat omnium hominum contradictione remota.* Hæc enim verba satis superque arguunt, firmiter jam decrevisse Ottonem, Ecclesiam Magdeburgensem in metropolitanam & archiepiscopalem efferre. Id quod mox ex alius quoque diplomatis patebit excerptis.

§. LXXVII. Exin Aprili mense in Wisbaden commoratus Otto repetiit donationem illam de Gibichensteino & Sputinesburg ante paucos annos factam, & paulo ante a nobis recensitam. Subscriptio ita habet: *Datum II. Id Aprilis Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXV. Indictione IV. Anno Imperii Magni Ottonis Augusti IV. Regni scilicet XXX. Actum Wisibadin (Wisibadun) in Christi nomine. amen. Liudolphus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognovi.*

§. LXXVIII. Eodem die Rosbach in pago Hassorum cum locis illuc pertinentibus Magdeburgensi Ecclesiæ donatur. Sic enim inquit Imperator in charta privilegii a

Leubero allata (num. 1606.) *Per hujus nostri præcepti paginam nostra imperiali auctoritate donavimus sancto Mauricio Martyri in Magadaburg quandam curtē juris regni nostri, quæ vocatur Rosbach, sitam in pago Hassonum, in Comitatu Elli Comitis, & alia loca ad præfatam curtem pertinentia, ita nominata, Vsloum, & altera Vsloum, Horineshusum, Medriki, Elisungum, Goteredeshusun, Bunnungheim, una cum ecclesiis omnibusque eorum pertinentiis, quæ dici vel nominari possunt, ex integro sancto Mauritio Martyri in Magdeburg donavimus, atque ex nostro jure & dominio in jus sancti Mauritii Martyris, atque venerabilium Archiepiscoporum, qui pro tempore fuerint rectores ejusdem sanctæ ecclesiæ almi Martyris Mauritii largimur atque transfundimus.* Ac iterum eodem die, *ob amorem Dei regnique æterni mansionem, ob remedium animæ Patris sui Henrici Regis, ac pro incolumitate matris suæ Mathildis, ac pro statu & incolumitate regni vel Imperii, conjugisq; suæ Adelheidis, ac filii sui Ottonis, instinctu & monitu Wilhelmi Archiepiscopi Moguntinæ sedis, dedit ecclesiæ S. Mauritii martyris in Magdeburg omnem rem pagumq; nominatum Neledice, omnemq; utilitatem cum omnibus ad eam pertinentibus, aquis salsis & insulsis, terris cultis & incultis, mancipiis Teutonicis & Slavonicis, munitionem etiam vel burgwardium urbis Sputineburg in pago Nudhice sitæ, cum omnibus pertinentiis, taleque prædium, quale Huodo in beneficio habet in Comitatu ipsius, in pago Northuringorum in locis Cunusteti, Flahtungen, Wabbaresdal, Adinge.* Habet hoc diploma Meibomius in collectione toties laudata, (pag. 124.) ac jam ante in *de pagis Saxoniæ* ejusdem dederat excerpta.

§. LXXIX. Deinceps mense Junio Dornburgi subsistens, toties laudato Magdeburgensi monasterio duas civita-

vitates Loburg & Tuchim (sic habet inscriptio apud Leuberum num. 1601. & in Ms. codice: quamvis in ipso textu sit *Luborn*) donavit. Ita enim loquitur privilegium: *Ob spem divinæ remunerationis, nostrorumque criminum pro absolutione in futuro magni judicii die, pro statu quoque & incolumitate regni vel imperii nostri, pro sanitate etiam nostra dilectæque conjugis nostræ Athelheidis, vel filii & æquivoci nostri carissimi Regis videlicet Ottonis, nec non & interventu ac petitione ejusdem Adelheidis nostræ conjugis, ceterorumque nostrorum fidelium, consilio Popponis etiam Wirciburgensis ecclesiæ episcopi atque Geronis Marchionis, duas civitates nostræ regiæ vel Imperatoriæ proprietatis, Luborn & Tuchime nominatas, in occidentali parte Albiæ fluminis, & in pago Moroszanorum* (Meibomius in *de Pagis Saxoniæ* habet *Morassovorum*) *sitas, atque in Comitatu prædicti Marchionis Geronis cum omnibus appendiciis suis tam in mancipiis utriusq; sexus, quam ædificiis — Deo sanctoque Martyri Mauritio nostro scilicet Patrono in Magdeburg liberaliter in perpetuam proprietatem transfundimus & donamus.* Subscriptio hæc est: *Data XV. Kal. Iulii anno dominicæ incarnationis DCCCCLXV. Indict. VIII. Anno Imperii Domni Ottonis III. regni autem XXX. Actum vero Thornburch feliciter, amen. Ludolphus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani notavi & recognovi.*

§. LXXX. Eodem mense exeunte, quicquid Otto Rex & Imp. in castellis Pechou & Gummeren habuit proprii, monasterio Magdeburgensi legavit. Scripturam de eo confectam affero.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Cum Imperatoriæ largitatis munere loca Deo & Sanctis ejusdem data per

omnes Imperii nostri partes prædiis & possessionibus ampliata sive stabilita esse noscuntur, & Sanctorum amplificatio Ecclesiarum salus & prosperitas creditur esse regnorum. Idcirco nos pro statu & incolumitate regni vel Imperii nostri, ob spem retributionis æternæ, pro remedio quoque & absolutione nostra in futuro magni judicii die dilectæque conjugis nostræ Adelheidis, vel filii nostri Ottonis, quicquid proprietatis in locis vel castellis subnotatis, videlicet Pechouve & Gumbere ad jus regium sive Imperatorium pertinere videbatur, cum omni integritate universisque appendiciis aut utilitatibus vel acquisitis vel acquirendis Deo Sanctoque Mauritio in Magdeb. transfundimus atque donamus, & ad usum vel opus fratrum ibidem Deo servientium deputamus. Et ut hoc autoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, hanc cartam conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & propria manu subtus firmavimus. Data V. Kl. Julii Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXV. Indictione VIII. Anno Imperii Domini Ottonis IV. regni autem XXX. Actum Magdeburg feliciter. amen. Signum Domini Ottonis Magni & invictissimi Imperatoris Augusti. Ludolfus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani recognovi.

§. LXXXI. Mense Julio Magdeburgum regressus, jus mercatus, monetæ, & telonii Magdeburgici transscribit Magdeburgensi monasterio, iis, quæ sequuntur, verbis: *Mercatum Magdeburg & monetam, omnesque teloniæ fructus vel usuras, quoquomodo vel a navigiis advectis, plaustris, vel carrucis, vel quibuscunque vehiculis adductis, sive ab equitibus vel peditibus vel cujuscunque modi aut conditionis hominibus supervenientibus allatis mercibus acquirendas, vel accipiendas, seu quicquid hactenus utilitatis ad nostrum publi-*

cum jus pertinere videbatur, totum ex integro Deo Sanctoque Mauritio in Magdeburg transfundimus, offerimus atque donamus, ut servi Dei die noctuque ipsi sancto Mauritio ibidem famulaturi pro nostra quoque Dominum salute deprecaturi, absque illius semper contradictione teneant & possideant, & suis, ut libuerit, usibus adjungant. Subscriptio talis est: *Data VII. Idus Iulii, anno Dom. Incarnat. DCCCCLXV. Indictione VIII. anno regni Domini Ottonis XXX. Imperii autem IV. Actum Magdeburg Palatio in Domino feliciter. amen.* Et ita quidem recte apud Meibomium (pag. 125. seq.) & Leuberum: (num. 1190.) sed in apographo meo numeri aliquoties fallunt.

§. LXXXII. Eopse die bannum regium in urbe Magdeburg & jus recipiendi Judæos Ecclesiæ Magdeburgensi dono data sunt. Diplomatis quod apud Meibomium (pag. 126.) & Leuberum (num. 1191.) exstat, summa his fere verbis absolvitur. *Bannum nostræ regiæ vel Imperatoriæ dignitatis in urbe ac circumjacentibus illarum partium incolis nostro regio vel Imperatorio juri debitum, Ecclesiæ in eadem civitate constructæ, sanctoque Mauritio in jus perpetuum liberaliter offerimus. Et ne vel Judæi, vel cæteri ibi manentes negotiatores ullam aliunde, nisi ab illo qui eidem Ecclesiæ præfuerit, districtionis aut disciplinæ sententiam vel regulam sustineant, volumus & firmiter jubemus. Præscripti vero banni, Deo sanctoque Mauritio a nobis oblati, nullus vel Comes, vel Vicarius, vel Judex, vel Tribunus, vel Exactor, vel aliqua persona, in eadem civitate sibi usurpandi, aliquam aliam in scriptis legem aut disciplinam exercendi potestatem habeat, nisi ipse qui eidem loco vel Ecclesiæ præfuerit Advocatus, quem nostro consensu sibi & eidem Ecclesiæ præficiendum elegerit.*

§. LXXXIII. Eodem menſe Iulio munificentiam, ſuam erga Magdeburgenſem Eccleſiam teſtatus eſt, eidem dicando varios mellis cenſus atque decimas in pagis ac villis diverſis. *Donavimus* (ſic habetur in Diplomate Leuberiano num.1604.) *ad eccleſiam S. Mauritii & cœnobio fratrum in eodem loco Deo ſanctoque Mauritio devote famulantibus omnem cenſum mellis noſtræ imperiali auctoritate pertine tem in pago Neletici in Comitatu Bilingi Comitis, & in pagis qui dicuntur Siuſilli & Plonim, totam decimam mellis, ſeu ad noſtram manum illam babuiſſemus, ſive alicui in beneficium conceſſum fuiſſet, ſimiliter in pagis ita nuncupatis Nicciti & Sprevvæ, ex utraq; fluminis parte, qui dicitur Sprevva, nec non & in Luſici atque Morcini, & ex utraque parte fluminis, quod dicitur Milda omnem decimam mellis noſtræ Imperiali auctoritate pertinentem, ſeu ad noſtram manum illam babuiſſemus, ſive alicui in beneficium conceſſum fuiſſet, excepto quam nos pro remedio animæ noſtræ ſanctis, qui ſunt in Brandenburg conceſſimus: inſuper etiam de urbibus ita nuncupatis, Bridrrici, Mocornic, Lirtuva, Burg, Grabowa, Tuchem, Bucounici. --- Data V. Kal. Aug. --- Actum Walubuſon.*

§. LXXXIV. Anno hujus ſæculi quinto & ſexageſimo ad finem vergente, Otto Imperator jus monetæ & mercatus indulſit villæ Getlide in Comitatu Liſgo, ſed ea lege, ut omnes reditus Eccleſiæ Magdeburgenſi reddantur. Meretur ſane integrum diploma Magdeburgenſibus Antiquitatibus inſeri.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium, quam futurorum induſtria qualiter nos interventu dilectæ conjugis noſtræ

Adel-

Adalheidis, ob ſpem divinæ remunerationis, pro ſtatu Regni vel Imperii noſtri, pro ſanitate quoque noſtra dilectique filii noſtri Ottonis, prædictæque noſtræ cariſſimæ conjugis Adalheidis, in villa Getlide, in Comitatu Liugo, cui Burchardus Comes præeſſe videtur, publicam monetam eſſe concedimus, omnesque ex eadem moneta reditus vel utilitates, quoquo acquirendas ad Eccleſiam ſancti Mauritii Magdeb. tradimus & donamus: teloneum vero de mercatu, quod ibi fieri conceſſimus in quibuscunque rebus vel mercimoniis accipiendum, prælibatæ Eccleſiæ Sancti Mauritii munifica largitate offerimus, & quicquid inde fructuum utilitatum ad noſtrum jus pertinere poſſe videbatur, totum & ex integro eidem Eccleſiæ vel fratribus Deo ſanctoque Mauritio famulantibus Magdeburg perpetualiter utendum concedimus, ut teneant & poſſideant, & ſuis, ut libuerit, uſibus adjungant. Et ut hoc noſtræ auctoritatis præceptum firmum & ſtabile permaneat, cartam hanc conſcribi, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, quam & manu propria ſubtus firmavimus. Dat. II. Idus Decembris, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXV. Indictione IX. Imperii vero IV. Actum Bruggheim in Dei nomine, amen. Signum Domini Ottonis Magni & invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Rudolphus Cancellarius ad vicem Wilhelmi Archicapellani recognovi.

§. LXXXV. Succedit annus hujus ſæculi ſextus & 969.
ſexageſimus: quo iterum variis acceſſionibus ab Ottone Imp. aucta & ornata eſt Eccleſia Magdeburgenſis. Et vero quia ante annos aliquot inter Ottonem Regem & Bilingum Comitem bona quædam per cambium in pago Neletice erant commutata, jam ſublato illo cambio hæc bona monaſterio Magdeburgico ſunt donata atque dedicata.

G For-

Formula hac de re conscripta in hunc modum est concepta.

In Nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus Romanorum ac Francorum. Quoniam Regiæ vel Imperatoriæ dignitatis officium esse constat Deo Sanctisque ejus monasteria vel loca construere, & semper auctoritatibus augeri & roborari: idcirco notum esse volumus omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque fidelium tam præsentium scilicet quam & futurorum industriæ, qualiter nos monitu & interventu dilectæ conjugis nostræ Adalheidis, pro statu etiam regni vel Imperii nostri, filiique nostri Regis scilicet Ottonis, quicquid prædii vel hæreditatis aliquando Bilingo nostro Comiti jure concambii in Neletici concessimus, ipse vero e contra quicquid conjux sua hæreditarii juris habere videbatur, nobis donat, jam rupto concambio fratribus diu noctuque Deo sanctoq; Mauritio in Magdeburg servientibus in proprium tradimus in locis subnotatis, videlicet Nova urbs & Brogora, Vppineng, & Brochstad, & omnia, quæ istis supradictis urbibus juste & legaliter subjacere videntur, tam in villis, quam in curtilibus, Ecclesiis, mancipiis, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, quæsitis & inquirendis, & cum omni integritate seu cujuscunque modi utilitatem ad nostrum jus habere videbatur, prædictis fratribus die noctuque Deo sanctoque Mauritio in Magdeburg famulantibus concessimus, & sub perpetua immunitatis nostræ tuitione esse volumus, ita ut nullus noster Comes vel Judex aut Vicarius, vel publicus fisci exactor audeat se intromittere ad exigendas vel paratas faciendas, aut hominibus inibi habitantibus ullam molestiam ingerendi potestatem habeant,

beant, sed tantummodo illi idem concessum sit, quem Abbas & fratres voluerunt praesse, ea videlicet ratione tradimus, ut praedicti fratres teneant & possideant, & suis, ut libuerit, usibus adjungant. Et ut hoc praesens praeceptum fixum & immobile permaneat, cartam hanc conscribi & annuli nostri impressione jussimus insigniri, quam & manu propria subtus firmavimus. Dat. V. Kal. Augusti Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXVI. Indictione IX. Anno Regni Domini Ottonis XXXI. Imperii vero V. Actum Walahusen in Dei nomine feliciter. amen. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Ludolphus Cancellarius ad vicem Wilhelmi Archicapellani recognovi.

§. LXXXVI. Atque hic Bilingus Comes idem forte est cum Hermanno Bilingo, qui postea Dux Saxoniae ab Ottone creatus, per hujus absentiam in Italia, vicibus regiis paulo insolentius Magdeburgi functus est. Luculentam hac de re habemus narrationem Ditmari lib. II. quam, quod antiquam historiam Magdeburgensem quodammodo illustret, repetimus. *Interim Herimannus Dux Saxoniam regebat, positaque ad Magdeburg concione susceptus est ab Archiepiscopo* (Adelberto: de quo postea agemus:) *manuque deducitur ad Ecclesiam, accensis luminaribus, cunctisque sonantibus campanis. Ibi avum meimet Henricum, tantae resistentem superbiae, dolo capere Dux nisus, non potuit: quia hunc militum magna caterva vallavit, praecepit tamen ei, ut Romam post Imperatorem pergeret. Quod libentissime complens, transscensis Alpibus, ut primum ad Imperatorem venit, videns eum a longe, solotenus se prostravit, interrogatusque quid causae hoc esset, quod accusatus apud eum, gratiam suam pietatemque solitam perdidisse timeret, lachrymabiliter respondit. Quem protinus elevatum Imperator*

rator osculatur, singulaque sagaciter perquirens, & de susceptione Ducis, quomodoque in medio Episcoporum ad mensam loco Imperatoris sederet lectoque dormiret, perdidicit. Ob hoc Cæsar Augustus mascule succensens Alberto per epistolam mandavit Episcopo, ut tot sibi equos mitteret, quot Duci campanas sonare, vel quot lucernas accendi præceperat. Imperatoria Archipræsul peragens edicta quibuscunque valuit modis se per legatos suimet excusare contendit.

§. LXXXVII. Eodem anno, mense Augusto Otto Imp. privilegio Strasburgi dato Ecclesiam Magdeburgensem auget dominio monasterii Kesselnheimensis in Meinfeldensi pago siti. Habetur id in opere Leuberiano, (num. 1607.) ex quo præcipua excerpemus: *Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Adalheidis, & fidelis archiepiscopi nostri Willihelmi, monasterium puellarum Kescelenheim nominatum, in pago & comitatu Meinefeldt situm, quod judicio optimatum Francorum, in nostrum Imperiale jus devenit, quum Conradus & Eberhardus, qui illud hactenus possidere visi sint, exheredes & inlegales sunt adjudicati, pro remedio & absolutione delictorum nostrorum ---- cum omnibus suis appenditiis, vel utilitatibus --- Deo Sanctoque Mauritio Magadeburg perpetualiter servitorum nostra imperiali munificentia, liberaliter offerimus, & a nostro jure in perpetuum illius ecclesiæ jus transfundimus, & donavimus, ut Archiepiscopis ibi a nobis instituendis suique successores omni contradictione remota inoffense teneant & possideant, & suis ut res ecclesiasticas juxta libitum usibus adjungant &c.* Sequitur subscriptio: *Signum Domini Ottonis Magni & invictissimi Imperatoris augusti. Liudolfus Cancellarius ad vicem Willihelmi archicapellani nota-*

notavi. Data VIII. Kal. Septemb. Anno Dom. incarnat. DCCCCLXVI. Indict. VIIII. anno vero Imperii domni Ottonis Imp. Aug. V. regni autem XXXI. actum Strasburgo in Dei nomine. amen.

§. LXXXVIII. Ecce Conradum & Eberhardum parthenone exutos Kesselnheimiano. Nec minus iidem sunt privati civitate Wisila, quam itidem accepit Magdeburgensis Ecclesia. Diploma hujus donationis testimonium adscribo integrum.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus, tam præsentibus, quam futuris, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Adelheidis, & fidelis Archiepiscopi nostri Wilhelmi civitatem Wisila nominatam, quæ judicio Optimatum Francorum in nostrum Imperiale jus devenit, quam Conradus & Eberhardus, qui illam attenus possidere visi sunt, exheredes & illegales sunt adjudicati, pro remedio & absolutione delictorum nostrorum, pro statu quoque & incolumitate regni vel Imperii nostri filiique & cognominis nostri carissimi Regis Ottonis, cum omnibus appenditiis seu pertinentiis vel utilitatibus, tam in mancipiis, quam in ædificiis, vinetis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, aucupiis, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, Deo Sanctoque Mauritio Magdeburg perpetualiter servituram, Imperiali nostra munificentia liberaliter offerimus, & nostro jure in perpetuum illius Ecclesiæ jus transfundimus, & donamus, ut Archiepiscopus ibi a nobis instituendus suique successores omni contradictione remota inoffense teneant, & possideant, & suis, ut res Ecclesiasticas juxta libitum usibus ad-

jungant. Et ut hoc auctoritatis nostræ donum eidem Ecclesiæ per successura tempora firmum & stabile permaneat, & a nostris sanctisque Dei Ecclesiis verius credatur fidelibus, chartam hanc conscribi & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus. Data VIII. Calend. Septembris Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVI. Indictione IX. Anno vero Imperii Domini Ottonis Imperatoris Augusti V. Regni autem XXXI. Actum Straburgo in Dei nomine feliciter, amen. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Rudolphus notarius in vicem Wilhelmi Archicapellani recognovi.

§. LXXXIX. Biduo post Ecclesia Magdeburgensis accepit dominium monasterii Hagemunster, quod itidem Conrado & Eberhardo in Wormaciensi procerum Germanicorum conventu abjudicatum fuit.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Noverint omnes fideles & futuri, qualiter nos pro statu regni nostri, & pro remedio animæ nostræ, dilectæque conjugis nostræ Adelheide, dilectique filii nostri Regis Ottonis, tale prædium, quale in nostrum jus judicio procerum nostrorum Wormatiæ adjudicatum est, idcirco quia hic videlicet Conradus & Euerhardus, qui idem prædium habuerint antea, judicio omnium Primatū Francorum non legitime esse probati sunt, sicq; fisco nostro legaliter addictum demum per admonitionem filii nostri Willehelmi Mogontiacensis Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi partem illius prædii totum quæsitum est in pago Nahgewe, scil. infra urbem Magontiæ monasterium, quod vocatur Hagemunster, cum omnibus ad id jure pertinentibus, Ecclesiis, territoriis, ædificiis, areis, possessis & possidendis, servis regiis, servis censualibus, servis cotidie servientibus, terris

cultis & incultis, aquis, aquarumq; decursibus, navigiis, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, pratis, pascuis, silvis, piscationibus, similiter in præfato pago Nahgewe in Comitatu Emichonis Comitis, in loco qui dicitur Gogenheim, quicquid idem ibi insistit, visus habere, cum omnibus ad eundem locum pertinentibus. Item in pago Spirichgeuu in Comitatu Gerungi Comitis, omne prædium, quod iidem fratres in villa, quæ dicitur Spirdorff, visi sunt habere, ad Ecclesiam, quam nos in honorem beati Petri Principis Apostolorum & Sancti Mauritii Martyris in Magdeburg construximus in perpetuum proprium donamus. Et ut hoc nostræ authoritatis præceptum firmum stabileque permaneat, hanc cartam conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & propria manu subtus firmavimus. Data VI. Kal. Septembris Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVI. Indictione IX. Anno vero Regni piissimi Ottonis XXXI. Imperii vero V. Actum Rinchach in Domino feliciter. amen. Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti. Ludolff notarius ad vicem Willehelmi Archicapellani recognovi.

§. XC. Anno ↄↄCCCCLXVII. Romæ commoratus Otto, tantum abest, ut Ecclesiæ Magdeburgensis fuerit oblitus, ut potius proprium suum prædium Wulferstede in pago Hardegou situm eidem dono dederit. Ipsum diploma sic habet.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Si Sanctis Dei & venerabilibus locis Ecclesiæ quoque ibidem in Dei nomine constructis & consecratis aliquid nostræque proprietatis regia vel Imperiali nostra majestate conferimus, id procul dubio ad præsentis vitæ statum æternæque quietis emolimentum capessendum nobis prodesse confidimus. Quapropter omnibus fide-

fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque tam præsentibus quam & futuris notum esse volumus, qualiter nos ob amorem Dei regnique æterni mansionem, insuper etiam pro salute nostri remedioque animæ nostræ atque amantissimæ prolis & æquivoci nostri Ottonis, ob interventum ac petitionem caræ dilectissimæque conjugis nostræ Adelheidis Imperatricis Augustæ, atque fidelis Wilhelmi, sanctæ Moguntinæ sedis videlicet Archiepiscopi ad sanctum Mauritium in Magdeburg donavimus atque tradidimus quoddam nostræ proprietatis prædium Wulferstede nominatum, in pago Hardegowe, & in comitatu Titmari Comitis situm cum omnibus ad hoc rite pertinentibus, hoc est, areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, cunctisque aliis omnibus rebus, quæ ad hoc aliquatenus dici, nominari, aut accomodari possunt, Deo, sanctoque Martyri Mauritio in Magdeburg quam a fundamento in ejus honorem construximus, nostro jure in ejus jus ac dominium perpetualiter ibi manendum regia vel Imperiali donatione tradimus, atq; ad opus vel usum cœnobitarum ejusdem almi Martyris Mauritii deputamus. Ea vero ratione, ut nullus hæredum vel successorum nostrorum de prænominato prædio aliquam deinceps potestatem habeat exercendi, quod velit, aut tradendi vel commutandi, sive aliud aliquid faciendi: attamen si quis eorum hæc facere præsumat, omnipotentis Dei vindictam, ejusdemque sanctissimi Martyris Mauritii, ad cujus honorem hoc idem prædium contulimus, in extremo die judicii incurrat. Et ut hæc nostræ donationis traditio a cunctis fidelibus nostris omnibus succedentibus temporibus firma stabilisque & inconvulsa habeatur, hoc nostræ regiæ

vel Imperialis Majestatis praeceptum inde conscribi jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus, annulique nostri impressione sigillari praecepimus. Datum IX. Kl. Octobr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVII. Indictione XI. Anno vero regni Domini Ottonis XXVII. Imperii vero VI. Actum Romæ in Dei nomine. Amen. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Luidulphus Cancellarius ad vicem Brunonis Archicapellani notavit.

§. XCI. Commodum jam fatis concesserat Bernhardus Episcopus Halberstadensis, Ottoni in constituenda Magdeburgi Ecclesia cathedrali tam adversus, ac successor designatus erat Hildewardus, quem alii Hillibardum vel Hilliwardum vocant. Hunc igitur Otto Imp. *Romam venire præcepit. Cumque eodem, quod diu latebat, secretum tum mentis revolvit, scilicet facturum se urbe Parthenopolitana Archiepiscopatum semper studuisse, ob spem remunerationis æternæ, defensionemque communis patriæ, seque ad omnia, quæcunque unquam ab eo expetiisset, promisit paratum, si consentiret sibi hoc perficere votum. Hic autem, ut erat sapiens, piæ connivebat petitioni, partemque parochiæ, quæ sita est inter Oram & Albim & Bodam fluvios, & insuper viam quæ Frederici dicitur, Domino concessit, Sanctoque Mauritio ac Imperatori. Insuper idem charitative rogatus a Cæsare Augusto dedit Domino sanctoque Laurentio parochiam jacentem inter fluvius Willerbizi & Salsummare, & Vnstrot, & Helmana & foveam, quæ est juxta Valenhúsum. Tali munere Imperator arridens, per manus suscepit eundem, curamque ei baculo committens pastoralem, Accipe inquit, precium patris tui.* Verba hæc sunt Ditmari Præsulis Mersburgensis lib. II. in *Historia Halber-*

stadensi jampridem a nobis explicata. Quod ad fines archidiœceseos, post verba *Albim & Bodam fluvios*, ex Chronico veteri Latino Magdeburgensi adde: *Usque ad ea loca, ubi castra Unsburg, Wansleve, Ottersleve, cum omnibus pertinentiis & villis, quæ Burgwardt appellantur, versus occidentem longius protenso fine terminantur, cum omni decimatione, banno, subjectione, obedientiis, & omni ecclesiastico ordine, prout Halberstadensis ecclesia visa est eatenus possedisse.* Ceterum ultima Ditmari verba liquido commonstrant, non prius Ottonem Imp. voluisse novum Episcopum confirmare, quam is Magdeburgensia ex sua diœcesi manu quasi mittens resignaverit. Merito igitur Gobelinus Cosmodromii ætate XII. cap. XLVIII. hunc Hildewardi consensum in erigenda hac metropolitana Ecclesia prædicat, verbis quantumvis paucis: *Mortuo Bernhardo Episcopo*, inquit, *successit ei Hildewardus Capellanus Regis qui Regi* (in erectione Archiepiscopatus Magdeburgensis) *consensit.* Ipse quoque Pontifex Johannes XIII. ad hunc consensum provocat in bulla sua de erectione Archiepiscopatus in Synodo Ravennatensi concepta, ac postea in literas relata.

967. §. XCII. Nimirum in hac ipsa Synodo auctoritate Imp. Ottonis anno IƆCCCCLXVII. celebrata inter alia quoq; actum fuit de constitutione novæ sedis Archiepiscopalis Magdeburgensis: Imperatore id ob vicinorum Slavorum conversionem modis omnibus urgente. Hanc enim præcipuam Ottoni fuisse causam laudata bulla sequentibus testatur verbis: *Cujus, quia is locus quasi ad Sclavos respiciens erat, ob loci congruentiam & vicinitatem Saxonum, ut novæ Christianitatis & catholicæ fidei, quam multo sudore paraverat, caput, fundamentum, & reparatio esset, Sancta inten-*

intentio erat. Item Ms. Chron. Magdeburgense, cujus Excerpta debemus Henrico Meibomio: *Quo* (Bernhardo) *defuncto cum venerabili Hildewardo pro ipso sacerdotii officio functo, ipse voti non immemor, ut in bonis repleretur desiderium suum, Romam profectus in suburbio Ravennæ in ecclesia S. Severi Episcopi & confessoris adunavit Synodum, in qua præsidente Dn. Ioanne, sanctæ & universalis ecclesiæ summo Pontifice, astantibusque quam plurimis Italiæ, Germaniæ & Galliæ Episcopis & Principibus, tantique negotii exordium arrecta aure & mente præstolantibus, multo labore magnis perculis se multas Slavorum nationum cis flumen Albiæ, in confinio Saxoniæ ad catholicam fidem convertisse, coram cunctis exposuit, quique adhuc rudes in fide, ne ad vomitum redirent, qualiter corroborari possent, consuluit. Cujus dignam relationem tantamque fidei confessionem sancta Synodus benigna devotione suscipiens, & bonorum omnium largitori gratias agens, in singulis provinciis secundum loci situm & populi quantitatem Episcopos censuit consecrari: quorum prædicatione & cura pervigili nutantes possent in fide stabiliri & adhuc idololatriæ dediti ad cultum justitiæ revocari. Vt vero ad id agendum major firmitas & tutior in Episcopis esset opportunitas, Archiepiscopum, ad quem negocium suum & controversiam, si qua orta fuerit, referre valeant, eis communi deliberatione præponi statuit. Quam videlicet archiepiscopalem cathedram apud Magdeburg civitatem potissimum fieri placuit, quod hæc in confinio Slavorum loco videretur oportunior, & in ejus propagatione voluntas Imperatoris esset amplior.*

§. XCIII. Verumtamen ut omnia pateant clarius, ipsam illam Papalem bullam, quam Meibomius sub titulo *Erectionis Ecclesiæ Magdeburgensis in Archiepiscopalem* cum

Witichindi monachi Corbejensis *Annalibus* edidit, integram afferemus.

Dum in Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis habita esset Synodus Ravennæ, in ecclesia scilicet B. Severi Episcopi & confessoris, residentibus Dn. Ioanne summo & universali Pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ & Galliæ præsulibus, de statu quidem ecclesiæ tractantibus: adstante etiam innumerabili clero & populo, sanctissimus Imperator Cæsar Augustus, qui eandem sanctam Synodum ob communem Imperii sui salutem congregaverat, plurimas Sclavorum nationes ultra fluvium Albiæ in confinio Saxoniæ multo labore & maximis sæpe periculis ad Christum convertisse coram omnibus retulit. Et quia rudes & nec dum stabiles erant, qui tuitione & custodia & cotidiana solicitatione in fide corroborari deberent, sanctam Synodum consuluit rogans, ut quos ipse summo studio Deo mancipaverat, pastoris negligentia ad vomitum redire non sineret. Hujus dignam relationem Sancta Synodus benigna aure suscipiens, Deo in his omnibus gratias agens, tot Slavorum populos ad Deum noviter adductos non nisi per Episcopos, in convenientibus locis in unaquaque provincia eorum secundum populi quantitatem & rationabilem terræ divisionem constituendos, ad hoc animari & erudiri posse censuit & ratum æstimavit. Ad quod agendum ut major firmitas & tutior in Episcopis ordinandis sit oportunitas, archiepiscopum, ad quem negocium suum & controversiam, si quæ orta fuerit, quasi ad caput referre & discutere valeant, eis constitui atque proponi communi deliberatione statuit. Et hoc ejus judicio & discretioni, in quo maxima reparandæ & confirmandæ religionis post Deum fiducia erat, fieri debere omnino judicavit. Est præterea locus in parochia Alberstadensis Episcopi, quem Magdeburg dicunt,

in

in confinio Saxonum & Sclavorum, in ripa prædicti fluminis Albiæ: ubi idem serenissimus Cæsar civitatem mirifice fundavit: populi multitudinem adunavit: ecclesias construxit: plurimorumque martyrum, beatorum scilicet Mauritii & Innocentii aliorumque corpora transtulit: canonicos quoque ibi Deo famulantes constituit, ad quorum victum & ecclesiæ utilitatem castra, villas, prædia, decimas, cum universis adiacentiis affluenter ex proprio cõcessit. Cujus, quia is locus quasi ad Sclavos respiciens erat, ob loci congruentiam & vicinitatẽ Saxonum, ut novæ Christianitatis & Catholicæ fidei, quam multo sudore paraverat, caput, fundamentum, & reparatio esset, sancta intentio erat. Quæ res quia omnibus cognita erat, sancta Synodus eundem piissimum Imperatorem summa devotione petiit, ut ejus auctoritate, quia Canonicum & acceptabile erat, illic archiepiscopalem sedem statui canonica auctoritate annueret, in qua archiepiscopus ordinatus ultra flumen Albiæ Episcopos, qui ordinati sunt & ordinandi futuris post temporibus erunt, subjectos habeat. Ipse quoque ab eis, qui pro tempore fuerint, post primum qui a Romana sede Archiepiscopalem benedictionem & pallium suscepturus est, consecretur. Ad hæc Imperator precibus & Dei voluntate commotus sanctæ congregationis volantati paruit, & hoc privilegio Apostolicæ sedis corroborari dignum dixit, quod & actum est a summo Pontifice, omnibus præsulibus, Italiæ, Galliæ & Germaniæ qui aderant propriis manibus corroboratum. Igitur quia civitas, ubi Magdeburgensis archiepiscopatus sedes est, sita est infra parochiam Alberstadensis Episcopi rejacet, sine consensu Episcopi sedis illius, archiepiscopi Magonciensis, cui subjectionem exhibet, commutationem parochiæ fieri non posse, sancta Synodus decrevit. Eo ergo revoluto anno & altero

dimidio transacto, cum Hattonem archiepiscopum Maguncienſem & Hildiwardum Episcopum Alberſtadenſem Ravennam convenire contingeret, ſanctiſſimus Imperator ſi bona voluntate commutationem parochiæ Alberſtadenſis eccleſiæ ad Magdeburgenſem fieri vel coram archiepiſcopo Ravennate & Epiſcopis comprovincialibus eos omni dilectione convenit. Tunc venerabilis Hildiwardus epiſcopus in præſenti omnium & prædicti præſulis Hattonis hoc ſe pro Deo nullo modo negare & contradicere poſſe, quia utriusque eccleſiæ & ſuæ maxime augmentum erat, clara voce reſpondit, & quod ad innumeri populi ſalutem pertinet ob alicujus decimæ cupiditatem caſſari abſurdum eſſe profeſſus eſt. Supradictis ergo auditoribus placuit, ut utraque parte ab eis, quibus res cognita erat, commutatio ſub exterminatione fieret. Placuit ergo communis voluntatis conſenſum inter Dn. Othonem piiſſimum Cæſarem Auguſtum & Hildiwardum Alberſtadenſis eccleſiæ Epiſcopum, ut in Dei nomine daret, ſicut in præſenti dedit ipſe Hildiwardus Magdeburgenſi eccleſiæ hujus ſcripti nexu ſuo jure habendum, id eſt, parochiam omnem, quæ rejacet inter fluvios Albeam ſcilicet, Salam, Horam & Bodam, usque ad ea loca, ubi caſtra Vnnesburg, Wantzleva, Hoeldesleva, cum omnibus pertinentiis & villis, quas Burgwart vocant, occidentem verſus longius finem protendunt & terminantur, cum omni decimatione & obedientiis, omnique eccleſiaſtico ordine, ſicut eccleſia Alberſtadenſis hactenus poſſidere viſa eſt, & de dominio & jure ſuæ eccleſiæ in ejus jus & dominium transfudit atque delegavit. Vnde ad vicem recepit pro decimatione ipſe Hildewardus Epiſcopus ad partem ſuæ eccleſiæ omnem decimationem in Hosgowe, ſicut terminatur in fluviis Sala, Willerbech & Wippera, & ut eam abbatia in honore Beati Wipperti in territorio Herolvesfelt in-

instructa in integrum possedit, quam prædictus Dn. Otto serenissimus Cæsar ab eadem abbatia ex proprio legali concambio commutavit & ecclesiæ Magdeburgensi proprietario jure concessit, & quia jam dictus Dn. Cæsar ejus fundator & constructor erat, ut omnem in posterum occasionem quod in precio & metu fieret, removeret, secundum Deum timendum hominum æstimationem & ipsius Alberstadensis Episcopi liberam arbitrii voluntatem hanc commutationem colligari voluit, & eo modo finita est causa. Vnde præsentem notitiam pro securitate, ne unquam in tempore legalis commutatio hæc posset solui, jussione Domini Cæsaris & petitione Dn. Hildiwardi Episcopi Alberstadensis, Ego Ambrosius Palatinus Cancellarius subscripsi, complevi & dedi. Petrus Archiepiscopus sanctæ Ravennatis ecclesiæ interfui & subscripsi. Hatto Mogontinus archiepiscopus interfui & subscripsi. Ego Hildiwardus Alberstadensis ecclesiæ Episcopus interfui & subscrisi. Vngfridus sanctæ Virdinensis ecclesiæ Episcopus & pastor libens subscripsi. Ego Reginoldus Rubilocensis ecclesiæ Episcopus interfui & subscripsi. Ego Ewerardus sanctæ Leodicensis ecclesiæ Episcopus interfui & subscripsi. Ego Adelbertus Lunensis Episcopus interfui & subscripsi. Ego Rupertus sanctæ Feltrensis ecclesiæ Episcopus interfui & subscripsi. Ego Albertus sanctæ Tarvisianensis ecclesiæ Episcopus interfui & subscripsi. Ego Ganslinus sanctæ Pataviensis ecclesiæ Episcopus interfui & subscripsi. Abraham sanctæ Frisingensis ecclesiæ Episcopus interfui. Martinus Episcopus sanctæ Fr episcopus interfui & subscripsi. Vinth Episcopus sanctæ Mutinensis ecclesiæ consensi & subscripsi. Rudolfus Episcopus *** consensi & subscripsi. Elberich consensi & subscripsi. Ioannes Episcopus Eugubiensis Ecclesiæ consensi & subscripsi. Ego Lirgiso episcopus sanctæ ordinatæ ecclesiæ con-

consensi & subscripsi. Ioannes Episcopus Calliensis ecclesiæ consensi & subscripsi. Luto episcopus sanctæ Clusensis ecclesiæ consensi & subscripsi. Albertus Episcopus sanctæ Pisensis ecclesiæ consensi & subscripsi. Ludini Episcopus consensit & subscripsit. Hubertus Episcopus subscripsit. Sichelm sanctæ Florentinæ ecclesiæ Episcopus interfui & subscripsi. Adalbertus sanctæ Bononiensis ecclesiæ Episcopus consensi. Arnolfus Episcopus subscripsi. Ioannes Imolensis ecclesiæ Episcopus interfui & subscripsi. Liutprandus sanctæ Cremonensis episcopus ecclesiæ interfui & subscripsi: his juste peractis Constantinopolin rediens. Odelricus Pergamensis Episcopus interfui & subscripsi. Grimoaldus sanctæ Rhegiensis ecclesiæ Episcopus interfui & subscripsi. Antonius Prisciensis ecclesiæ Episcopus consensi & subscripsi. Sigulfus Episcopus consensi & subscripsi. Sigulfus S. Placentinæ ecclesiæ Episcopus consensi & subscripsi. Petrus Episcopus subscripsit.

§. XCIV. Ex hac autem bulla inter alia docemur, in Ravennatensi quidem Synodo de institutione novi Archiepiscopatus serio fuisse disceptatum, nec minus etiam Papam cum pluribus Italiæ, Germaniæ atque Galliæ Præsulibus justis & æquis Ottonis desideriis adsurrexisse; rei tamen ipsius plenam definitionem in ipsius Hildewardi Præsulis Halberstadensis, sed & Archiepiscopi Moguntini Hattonis, qui Wilhelmo Ottonis filio anno IↃCCCCLXVIII. successit, adventum fuisse dilatam. Ut adeo quæ ex Ditmaro de adventu Episcopi Halberstadensis Romano repetivimus, non ante Ravennatensem Synodum, sed post illam sint gesta. Et consentit plane Chronicon Magdeburgense: *Cæterum quia Præsul Halberstadensis Synodo huic non adfuit, causæ clausulam in ejus adventum differre placuit, ut civitatem ipse a debito subjectionis absolveret, & tunc demum*

mum privilegium & subscriptio illibata fieret. Anno igitur integro & dimidio evoluto, cum Hatto archipræsul Magontiensis cum præfato Hildiwardo, suo videlicet suffraganeo, eo devenisset, & Imperator illos pro prædicta causa blanda petitione convenisset, Hildiwardus Episcopus tam Archiepiscopi consensu, quam omnium, qui aderant, consultu, prompta & hilari mente piæ ejus petitioni annuit. Ne tamen id faceret sine ulla remuneratione, *recepit ad vicem ab Imperatore in partem & utilitatem suæ ecclesiæ omnem decimationem in Hosgowe, ut terminantur in fluviis Sala, Willerbeke & Wippera, cum omni possessione, quam de Abbatia in honorem beati Wigberti in territorio Herovelfelt constructa, idem Imperator æqua commutatione acquisierat, cujus etiam abbatiæ ipse fundator erat*: quæ denuo verba sunt laudati Magdeb. Chronici.

§. XCV. Præterea ex hac bulla patet, quod novo huic Archiepiscopatui non alii primum subditi fuerunt Episcopi, quam qui ultra Albim jam erant constituti: sed quia plures Episcopatus condere volebat Otto, ejusdem conditionis esse jussi, qui imposterum constituerentur. Id enim volunt verba illa: *Sancta Synodus eundem piissimum Imperatorem summa devotione petiit, ut ejus auctoritate --- illic archiepiscopalem sedem statui canonica auctoritate annueret, in qua Archiepiscopus ordinatus ultra flumen Albiæ Episcopos, qui ordinati sunt, & ordinandi futuris post temporibus erunt, subjectos habeat.* Per illos ultra Albim Episcopos quin intelligendi *Brandeburgensis* & *Havelbergensis*, dubium mihi relinquitur nullum, ac perspicue id docent Excerpta vetusti Chronici Magdeburgensis: *Imperator Otto Magnus* (sic habent verba:) *civitatem Magdeburg ad honorem & defensionem dilectæ suæ Saxoniæ Metropolim*

& Archiepiscopium facere, cui præfatos duos Episcopatus (Brandenburgensem & Havelbergensem) a se constructos, & alios quos adhuc construere desideravit, subjacere, ibique Deo & S. Mauritio se suaque omnia dare cogitavit.

§. XCVI. Brevi tamen post alii accesserunt Episcopi sic ut Adamus Bremensis lib. II. suffraganeos quinque numeret, *Mersburgensem* scilicet, *Cizensem*, *Misnensem*, *Brandenburgensem & Havelbergensem. Magdaburgensi autem Archiepiscopatui subjecta est*, infit Adamus, *tota Slavonia, usque ad Penem fluvium. Episcopatus suffraganei quinque, quorum Mersburg & Cicia super Salam flumen condita, Misna vero super Albiam, Brandenburg & Hevelberg interius vadunt.* Adamum, more suo, exscribit Helmodus lib. I. cap. XI. & Albertus Stadensis ad an. ꟾↃCCCCLXXI. *Posnaniensem* Episcopum addit ex Ditmaro Gobelinus Persona Cosmodromii ætate *VI. cap. XLVIII.* Non contemnendus quoque hac de re locus est in fragmento Chronici Magdeb. Latini: *Præterea statuit eum esse Metropolitanum totius ultra Salam & Albiam Slavorum gentis, tunc ad Deum conversæ, vel convertendæ, & ut secundum desiderium Imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritus maxima vigebat superstitio, id est, Cizi, Misni, Mersburg, Brandenburg, Havelberg, Pornam* (Posna) *in honorem Domini, Episcopi fundarentur, quorum pastores secundum canonicam auctoritatem Magdeburgensi Episcopo fidem & subjectionem debendo sociarentur.*

§. XCVII. Præter illud Ravennatensis Synodi decretum Iohannes XIII. Papa singularem de Archiepiscopalis Magdeburgensis, nec non aliarum eidem subjectarum Ecclesiarum erectione, conscribi fecit bullam, quæ nondum hactenus edita nunc primum in lucem prodit publicam.

Jo-

Johannes Episcopus servus servorum Dei, Episcopus urbis Romæ, Archiepiscopis, Episcopis, & cunctis timentibus Deum, omnique cœtui Christianorum notum esse volumus, qualiter inspirante sancto Spiritu, meritisque Apostolorum principis Petri, & vasis electionis sanctissimi Pauli, ac millia millium martyrum Christi, Roma caput totius mundi & ecclesia universalis ab iniquis pene pessumdata a Domino Ottone Augusto Imperatore a Deo coronato, Cæsare & magno & ter benedicto, anno Apostolicatus nostri secundo, ipsiusque prænominati nostri spiritualis filii sanctissimi Imperii sexto erepta est, & in pristinum honorem omni reverentia redacta. Ipso namque anno una nobiscum favente & consentiente invictissimo prædicto Imperatore, acta est magna Synodus Ravennæ XII. Kalend. Maji, convenientibus Archiepiscopis & Episcopis circumquaque ex omni Italia, residentibus nobis in Ecclesia B. Severi Confessoris Christi, & ibi statutis omnibus rebus Ecclesiasticis, secundum statuta Canonum & decreta antecessorum nostrorum. Idem sanctissimus Imperator ardentissimo cœpit amore perquirere, quomodo nostra Apostolica auctoritate a primordio nomen Christianitatis in aquilonaribus partibus dilataretur. Nos vero ejus animum in Dei servitio ita mirifice detentum mirantes, connivere ei dignum duximus, statuentes præsente & consentiente sancta Synodo & ipso Imperatore, ut Magdeburg sita juxta Albiam fluvium, ubi ipso a Deo benedictus Imperator corpus S. Mauritii cum multis Martyribus collocaverat, & miræ magnitudinis Ecclesiam construxerat, deinceps metropolis sit & nominetur auctoritate B. Petri Apostolorum Principis, & ea quæ prædecessores nostri Constantinopolim statuerunt. Ideo quia filius noster sæpe jam nominatus Otto omnium Augustorum augustissimus tertius post Constantinum maxime Romanam

Ecclesiam exaltavit, concessimus, ut non posterior sit cæteris urbibus Metropolitanis, sed cumprimis prima, & cum antiquis antiqua inconvulsa permaneant. Suffraganeos vero eidem metropoli omnes unanimiter præordinavimus Brandenburgensem Episcopum & Havelbergensem, iis cunctis, quibuscunque Imperator voluit in urbe Magdeburg Archiepiscopus consecretur. Postea vero idem Archiepiscopus & successores ejus habeant potestatem per congrua loca, ubi per illorum prædicationem Christianitas creverit, Episcopos ordinare nominatim, nunc & præsentaliter Merseburg, Cici & Misni, a præsenti decima Indictione perpetualiter confirmamus permanendum. Statuentes Apostolica censura, sub divini judicii obtestatione & anathematis interdictionibus, nulli licere nostrorum successorum atque Pontificum vel alii cuilibet personæ, hæc, quæ a nobis pia intentione statuta sunt, in quocunque convellere, sed potius firma stabilitate inconvulsa manere definimus. Si quis autem, quod non credimus, temerario ausu contra hoc nostrum Apostolicum agere præsumpserit decretum, sciat se anathematis vinculis innodatum, & a regno Dei alienum & cum impiis æterno supplicio deputatum. At vero qui pio amore observator hujus nostri privilegii extiterit, benedictionem a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur, & vitæ æternæ particeps atque cum sanctis omnibus sine fine lætetur. Scriptum per manum Stephani Notarii, regionarii & scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili & Indict. X. Johannes sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ præsul huic decreto a nobis facto pro confirmatione subscripsi. Signum Domini Ottonis piissimi Imperatoris. Ego Rudoaldus Patriarcha sanctæ Aquilegiensis Ecclesiæ interfui, consensi & subscripsi.

§. XCVIII. Veruntamen tum hanc ipsam bullam, tum ipsius

ipsius Ravennatensis synodi decretum præcessit ejusdem Papæ scriptum de erectione tam Magdeburgensis Ecclesiæ in Archiepiscopalem, quam Merseburgensis in Episcopalem: in quo quia non pauca sunt Antiquitatum Archiepiscopatus Magdeburgensis notitiam illustrantia, dignum utique censemus, quod integrum afferamus.

Johannes Episcopus servus servorum Dei Reverendissimis Confratribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Monachis, Primatibus, cuncto clero & populo in Saxonia, Gallia, Germania, Bavaria constitutis. Quotiens ad provectum novæ Christianitatis concessionis firmitatisque privilegium a sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore deservimus, exposcitur, totiens omni diligentia omnique amore impertiri operæ pretium duximus, ne quod erga pia desideria propensius impendi convenit, callidi hostis invidia ob desidiam indesinenter subripiat. Totis ergo viribus, charissimi confratres, certandum est, ut Christianitatem, quam Deus omnipotens per servos suos cœlesti trophæo quotidie extendit & provehit, nostro quoque per eum adjutorio in eodem solidetur & maneat. Nunc vero Dei opera: te clementia, Charissimus & Christianissimus filius noster Re : Otto, devictis barbaris gentibus, Avaribus scilicet cæterisque quam pluribus, ut ad defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ triumphalem victorem in Imperii culmen per nos a B. Petro Apostolorum principe susciperet coronam, summam & universalem, cui Deo auctore præsidemus, adiit sedem, quam paterno affectu suscipientes ad defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ in Imperatorem cum B. Petri Apostoli benedictione unximus. Cumque in Ecclesia B. Petri Apostoli de statu & regimine totius Christianitatis tractantes, quæ utilia sunt, utiliter secundum Deum tractarentur, præfatus piissimus Imperator Otto, qualiter Sclavos,

quos ipse devicit, in catholica fide noviter fundaverat, nostræ paternitati innotuit, deprecans & obnixe postulans, ne oves, quas ipse Christo acquisiverat, ob pastoris defectionem antiqui serpentis versutia damnarentur. Ad hanc itaque petitionem assensum, fratres charissimi, merito præbuimus. Totis ergo medullis cordis, prout dignum est, ut novella plantatio super verticem montis in petra, quæ Christus est, fundetur, intendamus. Dabit vires, qui neminem vult perire, cujus annuente clementia volumus & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Magdeb. Monasterium in regno Saxonum juxta Albiam constructum, quod prælibatus sanctissimus Imperator ob novam Christianitatem construxit, quia vicinius id locorum gentibus est, in Episcopalem (procul dubio leg. Archiepiscopalem) transferatur sedem, quæ per subditos suffraganeos totum Dei gregem regere & gubernare valeat. Volumus, & per hanc privilegii paginam jubemus ut Merseburgense Monasterium, quod ipse piissimus Imperator, qua Ungros prostravit, futurum Dei devovit, in Episcopalē debeatur (f. tollatur) sedem, quæ Magd. sit subdita sedi. Et quia tot gentes sub uno pastore regi minime possunt, volumus & per nostræ auctoritatis privilegiū censemus, ut censum & decimationem omnium gentium, quas prædictus piissimus Imperator baptizavit, vel per eum suumque filium æquivocum regem, successoresque eorum, Deo annuente, baptizandæ sunt, ipsi successoresque eorum potestatem habeant distribuendi, subdendi Magdeburgensi, Merseburgensi, vel cuicunq; velint futuræ unicuique sedi. Volumus etiam, charissimi Confratres, & ex B. Petri jussione Apostoli præcipimus, ut Moguncienſ. Treverenſ. Colonienſ. Salsaburgenſ. Hamaburgensis Ecclesiæ Archipræsules Magdeb. Monasterii in Archiepiscopalem & Merseburgensis in Episcopalem translatio-

nis

nis sedem, totis cordis corporisque viribus consentanei fautoresque persistant. Cum vero omnipotens Deus per prætaxatum servum suum invictissimum Imperatorem suumque filium regem successoresq́; eorum vicinam Sclavorũ gentem ad cultũ Christianæ fidei perduxerit, per eosdem in convenientibus locis secundum oportunitatem Episcopatus constitui & in eisdem per consensum prædictorũ quinq́; Archipræsulum successorumque eorum ab Archiepiscopo Magdeb. Episcopos consecrari volumus suffraganeos. Sic tamen si præfati filii nostri piissimi Imperatoris suique filii æquivoci regis successores eorum statuta frangere tentaverint, aut prædictarum Ecclesiarum cæterosque Præsules successoresque eorum Magdeb. Archiepiscopo suisque suffraganeis successoribusque eorum adjutores, consentaneique non fuerint, anathematis mucrone feriantur, summoque retributore damnationem sine fine recipiant. Omnipotens itaq́; Deus Serenissimo Imperatori Ottoni suoque Nato, regi æquivoco spiritualibus filiis nostris longævam tribuat vitam, quatenus in hoc seculo tranquille viventes in futuro immarcescibili gloria percipiant palmam. Scriptum per manum Leonis scriniarii Sanctæ sedis Apostolicæ in mense Febr. Indictione quinta.

§. XCIX. Jam quæras hoc loco non immerito, an tum temporis, quando Magdeburgum archiepiscopali sede ornatum, simul & dignitatem illam ac *Primatus* elogium acceperit. Quod autem ad Primatum illum attinet, eundem tam prærogativam sessionis, quam supremam inspectionem ac sacram jurisdictionem in alios Germaniæ Archiepiscopos comprehendisse volunt.

§. C. Non mihi nunc ignotum est, quid recentiores nonnulli scribant, *rerum monumenta non prodere, an Magdeburgensis Archiepiscopus in ullum unquam Archiepiscopum potestatem habuerit:* imo jam tum Krantziũ Primatus

tus hujus splendorem in dubium vocasse; *eo quod nonnulli Archiepiscopi in honore non cedant Magdeburgensi:* nec item *Archiepiscopi Electores illi cedant locum.* Sic enim scribit Metropol. lib. III. cap. XXVIII. *Quomodo vero, & unde consecuta sit hæc ecclesia, ut Primas dicatur Germaniæ Archiepiscopus ejus, nec dum comperi : sciens tamen nonnullos Archiepiscopos illi non cedere in honore. Nam Saltzburgensis cum eo contendit de paritate, nec Archiepiscopi electores illi cedunt locum.*

§. CI. Quod itaque ad trigam illam Archiepiscoporum, qui postea Electores facti, attinet, in Excerpto Chronici vetusti Magdeburgensis iidem nominatim excipiuntur, iisque Magdeburgensis Archiepiscopus non præfertur, sed exæquatur. Salisburgensis autem Archiepiscopi cum Magdeburgico controversia (quam tangit Krantzius) tantum abest, ut hujus Primatum tollat, ut potius olim quoque Salisburgensem in Ecclesiastica Magdeburgensi ditione fuisse, donec de eo orta controversia, demonstret. Atque id etiam pridem vidit, ac luculenter comprobavit antiquitatum Germanicarum callentissimus ac nobilissimus scriptor Bernhardus a Mallincrot: ex cujus eruditissimo *de Archicancellaris S. Rom. Imperii libro* II. cap. IV. nonnulla afferemus. *Potius arbitror,* inquit, *cum hactenus, quod meminerim, mihi repertum non sit quicquam de speciali expressa Salisburgensis æque ac Rhenanorum exceptione, si statuatur, Magdeburgensem Patriarchatum, supra Iuvaviensem istum, jam inde a primæva erectione se extendisse, nec minus hodieque se extendere: ac contentionem illam de sessione & præcedentia, de qua Krantzius scribit, quæque in hodiernum usque diem indecisa permanet, eo primum exortam esse tempore, quo Salisburgensis perpetuo &*

here-

hereditario jure sedis Apostolicæ Legatus Natus fuit creatus; quod contigit sub Gregorio VII. in persona S. Gebehardi, ejus loci Archiepiscopi. Vt enim Krantzii objectionem effugiamus, necesse est aliquot Archi-Episcopos & duos ad minimum novo isti Primati subjectos fuisse; Salisburgensem nimirum, & Bremensem; quibus postea temporis Rigensis & Pragensis accesserunt. Quo pacto Archiepiscopus Magdeburgensis pro Primatu suo primum quidem duobus, post quatuor Archiepiscopis præfuisset.

§. CII. Et vero ne quis putet, Primatum illum Magdeburgicum veris nullis literarum monumentis nixum; ut contrariæ sententiæ appareat veritas, ipsius Iohannis XIII. privilegium ad Adelbertum primum Archiepiscopum Magdeb. hoc ipso nomine perscriptum afferemus.

Johannes Episcopus servus servorum Dei, dilecto nobis in Christo confratri Adalberto S. Magdeburg. Ecclesiæ Archiepiscopo in Domino æternam salutem. Si ea loca, quæ ad salutem maxime populi & gentis ad Deum conversionis fundata sunt, privilegio nostræ auctoritatis munimus & decoramus, hoc ad profectum & divinæ religionis cultum pertinere nullo modo dubitamus. Igitur quia sedem Magdeb. cui Deo auctore præsides, nostra tuorumque comprovincialium autoritate Archiepiscopalem esse decrevimus, quem inter cæteras Ecclesias ordinem, vigorem, Primatum *& æquitatem habere in posterum debeat, Apostolicæ sedis privilegio muniri sanximus. Dei igitur omnipotentis auctoritate, & B. Petri Apostolorum Principis, & nostra, te tuosque successores in perpetuum & Ecclesiam tuam omnium Ecclesiarum Archiepiscoporum & Episcoporum, qui in Germania sunt ordinati, in sedendo, in judicando, in confirmando, in subscribendo, in sententiis dandis, omnique Ecclesiastico ordine* Primatum

 habe-

habere volumus. Eorum vero qui sunt in Gallia, item Mogonciens. Trevirens. & Coloniens. Ecclesiæ, in omnibus parem honorem & similem vigorem præsenti privilegio confirmamus. Cæterum more Romanæ Ecclesiæ Ecclesiam tuam duodecim Presbyteros & septem diaconos, & viginti quatuor subdiaconos Cardinales, qui sandaliis & lisinis utantur, habere volumus. Super hoc vero eisdem Presbyteris & Abbatibus ecclesiæ Sancti Johannis Baptistæ in suburbio ejusdem civitatis constructæ tunicis uti concedimus. Quibus exceptis & Episcopis super altare in honorem B. Mauritii dedicatum missam celebrare aliquis nullo modo præsumat, quod non ad superbiam, sed ad loci sanctitatem speciali reverentia præsenti privilegio munimus & decoramus. Quapropter frater fraterrime, Dominicorum salubriter reminiscens mandatorum ita in commissæ plebis regimine lucrandisque animabus invigila, ut Redemptori nostro fructum bonæ operationis, in quo lætari possis, exhibeas. Scriptum per manum Stephani scriniarii sanctæ sedis Apostolicæ in mense Octobri Indict. XII.

§. CIII. Superpondii loco addamus & alia de hoc Primatu testimonia. Et primo quidem huc referas, quod Benedictus VI. Pontifex ad Archiepiscopos Germaniæ scribens, Adelbertum primum Magdeburgensem Archiepiscopum singulariter non modo salutarit *Germaniæ Patriarcham*, sed etiam Coloniensi Archiepiscopo præposuerit. Verba Pontificis ita habent: *Dilectissimis in Christo filiis, Ruperto Mogontino, Theodorico Trevirensi, Alberto Magdeburgensi, Patriarchæ Germaniæ, Gerioni Agrippinensi, Friderico Iuvavensi, Adaldago Bremensi Archiepiscopis --- Benedictus divina gratia Apostolicæ sedis Pontifex, servus autem servorum Dei, in Domino salutem.* Repetit hoc epistolæ

initi-

initium Aventinus Annalium Bojorum lib. I. ac porro ad illud provocat Vitæ Norberti Archiepiscopi Magdeburgensis scriptor cap. XXXIX. ubi ait: *Ut ex literis Benedicti Papæ VI. ad Germaniæ Episcopos de S. Pilgrino & Passaviensi Ecclesia an. 973. liquet; ubi Albertus Ecclesiæ metropolitanæ Magdeburgensis Archiepiscopus, primus Patriarcha Germaniæ nominatur.* Idem facit David Chytræus Saxoniæ lib. XXXI. (pag. 944.) Deinde vetus illa de fundatione hujus Archiepiscopatus narratio in Ms. Chronico Magdeb. Primatum illum Magdeburgensi Ecclesiæ tributum ita memorat: *Johannes Papa privilegio apostolicæ auctoritatis sanxit ac confirmavit, cum in omni ordine ecclesiastico Primatum habere omnium ecclesiarum archiepiscoporum qui in Germania sunt ordinati, in Gallia quoque Coloniensi, Mogontinensi, Trevirensi archiepiscopis per omnia honore similem esse, crucis signaculum ante se ferre, & inter Cardinales Episcopos Romanæ sedis consortium habere.* Huc porro spectant verba Werneri Rolevinckii in Fasciculo Temporum: *Ecclesia Magdeburgensis gloriose extruitur, & dotatur per Othonem primum, & Archiepiscopus ejus fit Primas Almaniæ.* Ut & Theodorici de Niem libro de Privilegiis & Juribus Imperii: *Imperator Otto Archiepiscopum Magdeburgensem, qui esset pro tempore, per Papam ejus ætatis, Primatem Germaniæ fieri procuravit.* Item laudatus Scriptor vitæ Norbertinæ, qui extat lib. II. Bibliothecæ Præmonstratensis d.l. *Eo quippe Primatu, seu suprema inspectione in omnes Germaniæ Archiepiscopos, olim Otho Imp. nomine primus, de assensu & consilio Pontificis summi & Ravennatis Concilii, Magdeburgensem Ecclesiam ornari fecerat.* Rectissime igitur ὁ πάνυ Schilterus in aureo opere *de libertate Ecclesiarum Germa-*

niæ lib. III. cap. VII. §. 1. ſcripſit : *Otto Imp. Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ordinavit, & concurrente auctoritate Pontificis Romani* Primatus Germaniæ *Archiepiſcopatui huic tanquam apex quidam ſuperadditus fuit.*

§. CIV. Jam quia potiſſima ad origines Archiepiſcopatus Magdeburgenſis pertinentia abſolvimus, nunc etiam de primo Archiepiſcopo diſpiciemus. Animus autem erat Ottoni ad hanc dignitatem evehere *Richarium* Magdeburgenſis Eccleſiæ Abbatem tertium, Othwini Epiſcopali Hildesheimenſi dignitate aucti ſucceſſorem: quem propter ſingularem eruditionem ac prudentiam itineris Romani comitem habuerat. Sed quod litteris clanculum ad Imperatorem ſcriptis acerbius corriperetur, Imperator animum ab eo prorſus avertit. Atque hoc eſt, quod ait Ditmarus lib. II. *Imperator vocavit ad ſe Richarium Magdeburgenſis Eccleſiæ Abbatem tertium. Nam Anno & Otwinus, tunc Epiſcopi, præfuerunt. Et volens hunc dignitate ſacerdotali decorare, viſa quadam epiſtola, quæ clanculum ſibi deferebatur, omiſit.* Et pluribus explicant Annales Magdeburgici his verbis. *Quibus peractis Cæſar lætatus, nec minus pro adhuc peragendis ſecundum Deum ſolicitus, accerſito Richario, Magdeburgenſis cœnobii Abbate tertio, coram Annone Wormacienſi & Othwino Hildenſemenſi Epiſcopis ſecum tunc forte commorantibus, volebat illum officio Epiſcopatus fungi in ipſa ſedis ſuæ mutatione: ſed impedierunt quidam occulto conſilio, & Imperatori pro ſecreto hoc delatæ literæ.* Confer Meibomii *Chronicon monaſterii Bergenſis.*

§. CV. Iniquo Richarius hanc repulſam tulit animo, deque ignominia, ſibi, ut putabat, illata vindicanda totus cogitavit. Verum divina factum eſt providentia, ut non mul-

multo post de vita decederet, ne forte per imprudentiam ultione doloris religiosa persona admodum indigna se pollueret. *Qui dum se tanto honore privatum intelligens* (hæc verba sunt Annalium Magdeburg.) *minus æquo animo ferret, ac impediendo tam sancto proposito Imperatori quoquo pacto obviare proponeret, brevi pulsatus valetudine terrena mutavit cœlestibus, successitque in ipsa sedis mutatione Herdiggus.*

§. CVI. Sic igitur rejecto Richario, Otto Imp. ADELBERTUM, Trevirensem ad S. Maximinum cœnobitam, Russiæ jam præfectum Episcopum, sed a paganis pulsum, & in Weissenburgensi Abbatia interea commorantem, virum doctrina ac moribus probatissimis ad hoc evexit fastigium. Sic enim Ditmarus lib. II. *Adelbertum Trevirensem, professione monachum, sed Russiæ prius ordinatum Præsulem, & hinc a gentilibus expulsum, ad Archiepiscopatus apicem, inclitum patrem, & per omnia probatum anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXX.* (vel ipsum Ditmarum, vel librarium in hoc anno fallere, bulla Johannis XIII. quæ mox sequetur, docebit.) *XV. Kal. Novemb. Apostolica autoritate promovit.* Fragmentum Annalium Magdeb. *Erat tunc quidam magni nominis & meriti Adelbertus, qui dudum Treveris de cœnobio S. Maximini monachus abstractus, & Episcopus consecratus ad prædicandum Rugis fuerat destinatus; sed populus exasperatus dura fronte & indomabili corde expulit illum de finibus suis, contemnens evangelizantem evangelium pacis, quia Dei providentia in terra nostra illi populus committendus erat novæ acquisitionis. Hunc ergo de Wissenburgensi abbatia, quam interim regebat, assumtum per omnia dignum & probatum Cæsar prædictæ Ecclesiæ Magdeburgensis sacerdotio promovit.*

§. CVII. Quod autem consuetudo inoleverat, ne prius defungerentur Archiepiscopali munere, quam singulare pallium a Romano Pontifice consecratum accepissent Præsules, pro eo impetrando Romam missus est Adelbertus, idque non difficulter a Johanne Pontifice impetravit. Sic enim pergit laudatus Annalium conditor: *Illumque Romam pro pallio ab apostolica sede suscipiendo cum literis suæ auctoritatis direxit. Sedit eo tempore in clavigeri cœlestis cathedra gratia & nomine Ioannes, Papa nominis illius tredecimus, in ordine vero Romanorum Pontificum centesimus tricesimus sextus. Hic igitur benignissime illum suscipiens pro pio studio gloriosissimi Imperatoris, quod in amplificatione divini cultus habebat, gaudens, ideoque justis ejus petitionibus annuens illum apostolica auctoritate Episcopum fore, ejusque successores decrevit: cui & pallium ad missarum solemnia celebranda dedit, & ipse nimia dilectione commonitus XV. Kal. Novembr. id est in festo S. Lucæ Evangelistæ ordinavit.*

§. CVIII. Ipsa bulla papalis, qua Adelberto prærogativa pallii credita, inter ceteras antiquitates Magdeburgenses a clarissimo Oleario nobiscum communicatas superat, quam lectori minime invidebimus.

Johannes Episcopus Servus servorum Dei reverendissimo confratri nostro Adelberto sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo æternam in Domino salutem. Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sint, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: Quanto sudore quantoque cura debemus semper pervigilare nos, qui pastores animarum dicimur? Attendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam

Do-

Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis propterea desideria nostra ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. Igitur quia gloriosissimus spiritualis Otto Imperator Augustus civitatem, quam Magdeburg dicunt, in confinio Saxonum & Sclavorum in ripa fluminis Albiæ, in parochia scilicet Halberstadensis Episcopi fundavit, & Ecclesiam inibi construxit, Canonicosque constituit, ad quorum subsidium satis contulit, & innumeram multitudinem Sclavorum ad divinæ regionis cultum conduxit, Confratres Hatto sanctæ Maguncienſis Ecclesiæ Archiepiscopus & Hildiwardus Halberstadensis Ecclesiæ Episcopus & comprovinciales Episcopi, sicut per consentaneas & petitorias literas ab ipsis propriis manibus roboratas, quæ in præsentia nostra ante corpus B. Petri Apostoli relectæ sunt, didicimus, in prædicta Magdeb. civitate Archiepiscopalem sedem privilegio Apostolicæ sedis statui ordinaverunt, quæ ultra Albiam & Salam in congruentibus locis subjectos Episcopos, qui non ordinati sunt, & ordinandi futuris post temporibus erunt, habeat, nostro post Deum judicio, qualiter eadem Archiepiscopalis sedes ordinari debeat, deliberandum precantes, ne per invidiam fidei tanta Sclavorum plebs Deo noviter acquisita callidi hostis, quod absit, rapiatur insidiis. Unde quia confrater, & coepiscope noster, clerus & populus sanctæ Magdeb. Ecclesiæ de te olim ad gentes missum ad Archiepiscopalem sedem promoveri, & eidem sedi inthronizari quærit, sicut bonæ memoriæ prædecessorem nostrum Zachariam Papam, beatum Bonifacium ad gentes destinatum Ecclesiæ Mogonciensi inthronizasse sciunt, religiosis desideriis nihil tarditatis impendo, sed privilegio nostræ auctoritatis dignum te eis esse Archiepiscopum judico. Unde quia ob hoc agendum

dum ad Apostolicam sedem ipse venisti, pro amore beatorum Mauritii & Innocentii Martyrum & aliorum sanctorum qui Magdeb. requiescunt, & prædicti spiritualis filii nostri Ottonis Imperatoris Augusti petitione, qui ejusdem Ecclesiæ auctor & fundator est, & quia ad perfectum Christianæ religionis & innumeri populi salutem valere scimus, ipsi pallium tibi ad missarum solemnia celebranda damus, ipsi nimia dilectione commoti circa te ponimus, & eo te, sicut Archiepiscopum Moguncienſem & Trevirenſem, uti concedimus. Præterea statutis his diebus, Natalis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis Domini, Ascensionis, Pentecostes, Natalitiis Apostolorum, S. Laurentii, & festivitate S. Virginis Mariæ & eorum Sanctorum, qui Magdeb. requiescunt, & in consecratione suffraganeorum tuorum Episcoporum, & dedicationibus Ecclesiarum, in die Natalitii tui, & ita tuis imposterum successoribus ex auctoritate Apostolicæ sedis præsenti privilegio concedimus, & confirmamus, ita tamen ut unusquisque, qui pro tempore fuerit, ab Apostolica sede, secundum morem illud recipiat. Itaque vita tua filiis tuis sit regula, in ipsa si qua tortitudo illis injecta est, dirigantur, in ea, quod imitentur, aspiciant, in ipsa se semper considerando perficiant, ut tuum præter Deum judicatur esse bene, quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant, sed quicquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur, nullum favor indiscretus inveniat, districtum mali cognoscant, insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset. Sancta Trinitas fraternitatem nostram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudinem ad æternam simul pervenire mereamur dulcedinem. Scriptum per manum Stephani Regionarii &

& ſcriniarii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, in menſe Octobri, & Indictione XII. Bene vale. Dat. XV. Kal. Nov. per manum Widonis Epiſcopi ſanctæ Sylvæ Candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, anno, Deo propitio, Pontificatus noſtri Domini ſummi Pontificis & Univerſalis XIII. Papæ in ſanctiſſima ſede B. Petri, quarto, Domino noſtro Auguſto Ottone a Deo coronato magno Imperatore, anno VII. filioq; ejus anno primo, Indict. XII. Dominicæ Incarn. DCCCCLXVIII. anno.

Quæ quidem ſubſcriptio ſi ſe habet recte, Adalbertus Archiepiſcopalem cum pallio dignitatem non impetravit anno demum hujus ſæculi ſeptuageſimo, ut eſt in Maderiana Ditmari editione, ſed anno octavo & ſexageſimo, non diu poſt Ravennatenſem ſynodum.

§. CIX. Ab eodem Pontifice Johanne XIII. Adalbertus noſter certam accepit bullam de poteſtate ordinandi ſuos ſuffraganeos: quā, quod ad illuſtrandas Archiepiſcopatus Magdeburgici origines pertineat, itidem integram afferemus.

Johannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, chariſſimo confratri noſtro Adalberto ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ Archipræſuli in Domino æternam ſalutem. Ita te, frater chariſſime, & Coepiſcope noſter, vita moresq; tui hactenus idoneum reddidere, ut multa tibi credere, plura etiam committere, ſicut bono diſpenſatori, non hæſitemus. Igitur quia ad paſtorale culmen plebis tuæ & comprovincialium tuorum & noſtra poſt Deum te auctoritas promovit, & quia tanta Sclavorum plebs ultra fluvios Albiam & Salam ſcilicet Deo noviter acquiſita paucis paſtoribus minime tueri poteſt, qualiter Epiſcopis tuæ ſedi ſubjectis parochias rationabiliter & caute dividas & diſtribuas, tuæ diſpenſationis & diſcre-

tionis examini committo, & hoc Serenissimi spiritualis filii nostri Imperatoris Augusti, qui ejusdem tuæ Ecclesiæ fundator & auctor est, cura, diligentia & judicio fieri, per præsentis privilegii munimen statuo & confirmo. Sit ergo ab Apostolica sede, cui, Deo auctore, præsideo, Ecclesiæ tuæ concessum, ut ab ejus Rectoribus Episcopi, qui ultra Albiam & Salam constituti & constituendi sunt, post futuris temporibus consecrentur, & ipsi ejusdem tuæ scilicet Ecclesiæ Archiepiscopos, sicut pro tempore fuerint, consecrent, qui pallium secundum morem Romanæ Ecclesiæ a nostra sede recipiant. Unde frater charissime, dilectionem tuam admoneo & obtestor, ut animo sis sollicitus, ne aliquid sibi commodi dato aut gratia, quæcunlibet supplicatio personarum in sacris ordinibus vendicet, sed ad hoc officium ille perducatur, quem morum gravitas commendet, & vitæ præteritæ actio. Oramus autem omnipotentem Deum, ut sua te munitione circumagat, & sacerdotii susceptum officium operibus implere concedat. Actum per manum Stephani scriniarii & Bibliothecarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobri, Indictione statutum duodecima.

§. CX. Quamprimum Adelbertus archiepiscopali pallio ornatus, *cum legatis Romanæ Ecclesiæ, Widone scilicet Episcopo Bibliothecario & Benedicto Cardinali, qui illum cum Hildiwardo Halberstatensi Episcopo sedi suæ inthronisarent, dimissus ad Imperatorem lætus remeavit, quem Imperator nihilominus gaudens, utpote beati sui desiderii compos, cum literis commendatitiis Magdeburg destinavit. Illuc ergo ex præcepto Imperatoris Episcopi Marchiones & reliqui Saxoniæ Principes convenientes, ipsum honorifice susceperunt, & vocum acclamatione, manuumq; elevatione electum cum præfatis Apostolicæ sedis legatis celebri ritu inthroni-*

nisave-

nisaverunt. Adfuit omnis sexus & ætas gaudentium: fuit prorsus generale tripudium. Narratio hæc est Annalium Magdeburgensium non contemnenda, illustrans ista Ditmari Mersburgensis Episcopi : *Tunc* (Otto Imp.) *misit eum ad sedem suam cum magno honore, præcipiens universis Saxoniæ Principibus , ut proximum natale Domini cum eo essent.*

§. CXI. Hoc Ottonis Magni ad Principes Saxoniæ scriptum ex codice MS. integrum repræsentabimus.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Omnibus fidelibus nostris Episcopis scilicet & Comitibus , cæterisq; comprovincialibus nostris æternam in Domino salutem & omne bonum. Quoniam augmentum divini cultus salutem & statum esse regni vel imperii nostri credimus , idcirco cunctis, quibus posse suppetit , modis hoc amplificare tendimus & desideramus. Igitur in Magdeburg civitate fratrum omnium nostrorum noverit caritas , Archiepiscopalem sedem fieri desiderantes , oportunum vero & jam temporis ad hoc peragendum tempus invenientes , consilio venerabilis Archiepiscopi Hattonis & Hildewardi Episcopi cæterorumq; fidelium nostrorum, virum venerabilem Adalbertum Episcopum olim Rugis prædicatorem destinatum & missum , Archiepiscopum & Metropolitanum totius ultra Albiam & Salam Sclavorum gentis modo ad Deum conversæ vel convertendæ fieri decrevimus pariter & elegimus, quem & Romam pro pallio a Domino Papa suscipiendo direximus. Et ut hæc nostra electio firmior & subnixior fiat , eum vestræ caritati dirigimus , & ut a vobis omnibus & vocum acclamatione & manuum elevatione electus suæ sedi inthronisetur, omnibus modis desideramus. Ne vero hæc ejus electio vel inthronizatio

tio futuris, quod absit, temporibus aliquorum valeat invidia molestari, tres ab illo Episcopos, unum Merseburgensem, alterum Cicæ, tertium Misnæ, in præsentia legatorum Domini Papæ & vestra volumus ordinari, ut hæc eadem præsentia vestra ante Deum & Sanctos ejus intentionis nostræ sit testis futura. Et quia vir venerabilis Buso multum in eadem Sclavorum gente ad Deum convertenda sudavit, inter Merseburgensem & Citicensem Ecclesiam, quam velit, electionem habeat. Altera vero secundum convenientiam nostram in dispositionem Archiepiscopi nostri cedat. Vos autem Marchiones nostros Wigbertum scilicet, Wiggerum & Guntherum fidelitate nobis debita obtestamur & admonemus, ne quid in hac ordinatione Archiepiscopo nostro in vobis obsistat, sed secundum dispositionem nostram & suam, ut vobis direxit, fiat, & quæcumq; ab illo audieritis, nos velle, sciatis. Ne vero iidem Episcopi, qui ordinandi erunt, pauperes & villanis similes æstimentur, volumus caveatis, & consilio Archiepiscopi & eorum, qui cum illo in Natali Domini erunt, Episcoporum & Comitum, qualiter sustententur, inveniatis. Quicquid enim illis impenditur, pro nostra Deo salute offertur, vestraq; pro hoc merces apud Deum non minorabitur. Super hoc Domini Episcopi Dudo & Dudolinus in Archiepiscopi nostri electione volumus ut subscribant, & fidem subjectionemq; illi promittant. Et ut hæc nostra, vestraq; post Deum electio firma & stabilis perseveret, chartam vel notitiam hanc in Ecclesia Magdeburgensi perpetualiter mansuram, & eorum, quæ prædiximus, testem jugiter futuram scribi jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.

§. CXII. Egregium, memorabile, ac vere cedro dignum hoc est Ottonis M. ad Principes Saxoniæ tam sacri, quam

quam civilis ordinis missum præceptum: utpote de variis rebus accurate nos erudiens. Ut enim taceam, hanc scripturam pro genuina primi Magdeburgensis Episcopi Adalberti confirmatione Imperatoria habendam; eadem porro monstrat, quomodo paroeciani per acclamationem & manuum elevationem consensum suum testantes Præsulem recipere consveverint: nec minus quomodo Comitibus & Marchionibus commissa fuerit cura providendi, ne quid in sustentandis deesset Episcopis, eaq; de re consilia singulariter sint agitata. Præterea ex eadem docemur, quo pacto novi Episcopi suis Archiepiscopis fidem ac subjectionem publica voce promiserint. Deniq; nec illud est indignum observatu, Bosoni optionem ab Imperatori esse relictam, in eligenda sive Mersburgensi sive Cizensi episcopali diœcesi: cui tamen priorem placuisse, sequens historiæ monstrabit series. Quæ cum ita se habeant, merito magnas iis debemus gratias, qui hanc quoque scriptionem una cum ceteris diligenter conservarunt: nec minores ut Cl. Oleario agamus, æquum est, quippe qui singulari cura describi fecit hæc literarum monumenta, ac porro tam benevole nobis eorum fecit copiam.

§. CXIII. Sic igitur in ipsis Christi Natalitiis novus Archiepiscopus novos cathedrali Ecclesiæ suæ subjectos consecravit Episcopos, Merseburgensem, Misnensem, & Cizensem. Ditmarus iterum: *Archiepiscopus autem a clero & omni populo magnifice susceptus, in his festivis diebus consecravit Bosonem Merseburgensis Ecclesiæ pastorem, Burckardum Misnensis Ecclesiæ provisorem, Hugonem Episcopum Cizensem.* In fidem porro suam suorumque successorum suscepit Havelbergensem, Brandeburgensem & Posnaniensem jam ante consecratos Episcopos. *Havelburgensis Ecclesiæ custodem,* ait

ait Ditmarus, *his Tudonem cooptavit prius consecratum. Omnes hos, inquam, consecravit, subjectionem sibi suisq; promittentes successoribus, disposita singulis quibusq; parochia speciali. Additus est his confratribus Brandenburgensis Ecclesiæ pastor Ditmarus (Dudolinus) ante hos unctus, & Jordan Episcopus Posuaniensis.* Fragmentum Chronici Magdeb. *Ubi ad confirmationem sui idem Archiepiscopus in præsentia eorundem* (Saxoniæ Principum) *Nativitatem Domini secum celebrantium Bosonem monachum Merseburgensi, Burchardum Misnensi, Hugonem Cyzensi, Ecclesiis primos Episcopos ordinavit, Dudo quoq; Havelbergensis & Dudelinus Brandenburgensis Episcopi prius quidem Moguntino Archiepiscopo subjecti, sed tum agente Imperatore, a debita sui obedientia absoluti, Magdeburgensi Ecclesiæ & ejus Archiepiscopo cum præfatis confratribus fidem & subjectionem promisere.*

§. CXIV. Quod vero Brandenburgensis & Havelbergensis Episcopi sedi hactenus paruerant Moguntinæ, & jam in novam Magdeburgensem transferebantur archidiœcesin, opus erat Archiepiscopi Moguntini consensu; quem etiam Hatto sequenti diplomate professus est.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Hatto divina auxiliante clementia sanctæ Mogonciacensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Quia sollicitudo pastorum in augmento gregis probatur, nec tantum Ecclesiis nostris præesse, quantum prodesse jubemur, Idcirco nos onus nobis impositum in plura dividendum censuimus, ut dum in plures participatur, ab unoquoq; nostrum, jugum Christi, quod svave, & onus ejus quod leve est, æquius & portabilius portetur. Ad dilatandos quippe fidei Christianæ terminos & Sclavorum indomitas gentes ultra Albiam & Salam jugo Christi subdandos in Magdeburg sedem Archiepiscopalem fieri, & in Merseburg Episcopum

ſcopum Magdeburgenſi Eccleſiæ ſubjiciendum, & ab ejus Archiepiſcopo ordinandum Archiepiſcopali noſtra auctoritate cenſemus & inſtituimus. Epiſcopos vero ultra Albiam, Brandenburgenſem ſcilicet & Havelbergenſem noſtræ hactenus Eccleſiæ ſubjectos a debita nobis obedientia abſolvimus, & præſcriptæ Magdeburgenſi Eccleſiæ ejusque Archiepiſcopo obedituros æque permittimus & conſentimus. Ne quam vero ſancta Magdeburgenſis Eccleſia futuris, quod abſit, temporibus a noſtris ſucceſſoribus inde moleſtiam patiatur, Cartam hanc conſentaneam conſcribi juſſimus, & in præſentia Sereniſſimi Domini Auguſti Imperatoris vel venerabilium Epiſcoporum, quorum nomina inferius inſerentur, legi vel recitari, & ſubſcriptionibus corroborari & confirmari rogamus. Ego Hatto Sanctæ Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus manu propria confirmavi & ſubſcripſi. Ego Everardus Sanctæ Leodicenſis Eccleſiæ Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Ego Reginoldus Sanctæ Rubilocenſis Epiſcopus conſenſi ac ſubſcripſi. Odelricus Pergami Epiſcopus interfui & ſubſcripſi. Hubertus Epiſcopus ſubſcripſi. Milo Epiſcopus ſubſcripſi.

§. CXV. Atque hæc pro tempore in hiſtoria Adelberti ſufficiant: quibus addideris, quod ab exceſſu primi Mersburgenſis Epiſcopi Boſonis, cum Otto Cæſar ſucceſſorem deſignaſſet Giſilerum, Adelbertus noſter eundem Magdeburgi conſecraverit. Sic enim ſcribit Ditmarus lib. II. *Cum primus Eccleſiæ pater noſtræ expiraret, interceſſione Annonis Epiſcopi Wormacienſis, Imperator Giſilero moribus & natura nobili Epiſcopatum dedit. Hic conſecratur in Magdeburg ab Alberto Archiantiſtite, Junio menſe.* Quæ reſtant alia, alibi, Deo volente, afferemus. Nunc denuo ad enarrandam ac celebrandam Ottonis Magni adverſus novum hunc Archiepiſcopatum munificentiam poſtliminio revertimur.

§. CXVI.

968 §. CXVI. Anno igitur ꟾↃCCCCLXVIII. mense Octobri Ravennæ subsistens prædium Bodenhusanum cathedrali Ecclesiæ Magdeburgensi donat sequenti diplomate.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium nostrorum tam præsentium, quam & futurorum industria, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Adelheidis filiique & Coimperatoris nostri Ottonis tale nostræ proprietatis prædium, quale nos in Bodenhusen usque ad hanc diem habuimus, cum omnibus appenditiis suis tam in mancipiis, quam in ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, in mobilibus & immobilibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, Sancto Mauritio in Magdeburg liberaliter offerimus, & Archiepiscopis illius Ecclesiæ perpetualiter concedimus, ut teneant & possideant, & suis usibus, sicuti res Ecclesiasticas, juxta libitum adjungant. Et ut hoc nostræ munificentiæ munus eidem Ecclesiæ fidelibus nostrisque verius credatur, hanc cartam scribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & propria manu subter firmavimus. Data VII. Non. Octob. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIII. Indictione X. Anno vero regni Domini Ottonis XXXIV. Imperii autem VII. Actum Ravennæ in Domno feliciter. amen. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Ludigerus Cancellarius ad vicem Haddonis Archicapellani recognovi.

§. CXVII. Eodem porro die Magdeburgensi Archiepiscopatui offert dominium monasterii in Bebera a Bilingo Comite exstructi, una cum castello & villa adjacente. Sequitur ipsa diplomatis formula.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina

na favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam & futurorum industria, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Adelheidis, filiique & Coimperatoris nostri Ottonis, Monasterium, (hic omissus locus, quem ex inscriptione diplomatis restituimus:) *quod Bilingus Comes in prædio vel fisco nostro Imperatorii juris a fundamento in honorem beati Johannis Baptistæ sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli construxit, cum castello & villa, & omnibus appenditiis, vel proprietatibus, quas prædictus Bilingus de suis eidem monasterio contulit & tradidit, tam in mancipiis, quam in ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus scilicet & immobilibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis Sancto Mauritio in Magdeburg liberaliter offerimus, & Archiepiscopis illius Ecclesiæ perpetualiter utendum concedimus, ut teneant & possideant, & suis usibus illud, sicuti res Ecclesiasticas, juxta libitum adjungant. Et ut hoc nostræ munificentiæ munus eidem Ecclesiæ firmum & stabile per successura tempora permaneat, & a Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque verius credatur, hanc cartam conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quod & manu propria subtus firmavimus. Dat. VII. Non. Octob. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIII. Indictione XI. Anno autem regni Domini Ottonis XXXIII. Imperii vero VII. Actum Ravennæ in Domino feliciter, Amen. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Ludigerus Cancellarius ad vicem Haddonis Archicapellani notavi.*

§. CXVIII. Nec minus Otto Imp. eodem die Abbatiæ Angeranæ a Mechtilde matre sua quondam exstructæ dominium Archiepiscopatui Magdeburgensi dedicavit. *Nos*

(sic habent ipsa verba diplomatis apud Leuberum num. 1609.) *pro monitu Adelheidæ dilectæ conjugis nostræ, Abbatiam, cui nomen est Angerin,, quam beatæ memoriæ domina genetrix nostra Mathilt in honorem Sancti Dionysii martyris Christi construxit, ob remedium & absolutionem animarum domini genitoris nostri Heinrici regis, Dominæque genitricis nostræ, pro statu quoque & incolumitate regni vel Imperii nostri, filiique & coimperatoris nostri Ottonis, Sancto Mauritio in Magdeburg liberaliter offerimus, & Archiepiscopis illius Ecclesiæ perpetualiter utendam concedimus.* Eandem donationem Ravennæ statim confirmavit Otto II. ac superat in codice Olearii ipsa, qua id fecit, scriptura, ex qua præcipua adscribemus. *Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus scilicet, quam & futuris, qualiter nos Antecessorum nostrorum, Imperatorum scilicet & Regum, qui in construendis Ecclesiis Dei studiosius laborabant, easque immunitatibus & privilegiis roborabant, exempla sequentes, sedem Archiepiscopalem vel Ecclesiam S. Mauritii in Magdeb. nostris etiam privilegiis roborari decrevimus. Unde precibus Adelberti Archiepiscopi nostri dilecti permoti, privilegia vel præcepta, seu quæcunque donaria Domini genitoris nostri piissimi Imperatoris Augusti Ottonis suæ Ecclesiæ in Magdeburg collata, nostra etiam autoritate roboramus & confirmamus, & liberali munificentia in perpetuum jus Sancto Mauritio transfundimus atq; donamus. Abbatiam quoque in Angern, quam idem Dominus genitor noster Sanctæ Magd. Ecclesiæ pro remedio animæ suæ obtulit, nos etiam Imperiali nostra autoritate eidem Ecclesiæ donamus, concedimus, & privilegii nostri tuitione Archiepiscopis illius Ecclesiæ cum omnibus suis appendentiis perpetualiter servituram confirmamus & roboramus.*

§.CXIX.

§. CXIX. Finiente Octobri Otto Imp. privilegio Anconæ dato Abbatiam Weissenburgensem in pago Spirensi sitam Archiepiscopatui Magdeburgensi conjunxit; sic quidem ut monachis libera eligendi Abbatis maneret potestas, non tamen absque voluntate ac consensu Magdeburgensis Archiepiscopi. Integrum hoc diploma, cujus excerpta attulerat Meibomius (pag.130.) excudi fecit Leuberus: (num. 1610.) ex quo potiora huc transscribere operæ pretium censemus. *Cum beatissimæ memoriæ Johannes Papa summus Romanæ sedis Pontifex nostræ serenitatis proposito, virum venerabilem Adalbertum Romæ transpositum in primi Archiepiscopatus apicem Sanctæ Magdeburgensi Ecclesiæ Deo ac gloriosissimo militi ejus sanctoque martyri Mauritio constructæ, promovendo consecrasset, nuntiis ac literis multimode nobis a se missis rogavit, ac Dei Sanctique Petri Apostolorum Principis jussu commovit (MS. commonuit) ut quando id novum Archiepiscopium inter gentiles ac Christianæ fidei dogmate jam nondum perfecte excultos situm videatur, abbatia quadam Wizzenburg vocata, nostro juri propria, inter veros & Christianæ fidei perfectos sita, eandem Ecclesiam illuc proprie tradendo sublevaremus. Cujus nos petitioni, nec non venerando jussui humiliter obsequentes, jam dictam abatiam Wizzenburg in pago Spyrensi sitam ad Ecclesiam in urbe Magdeburg Deo & Sancto Mauritio constructam nostra Imperiali potentia firmissime tradimus, & in proprium & perpetuum usum ex nostro jure in hujus Ecclesiæ jura largiendo transfundimus, cum omnibus ejusdem Abbatiæ regalibus justisque appertinentiis, eo tenore, ut a nullo unquam altæ vel humilis personæ inde non retrahenda perpetuo sub manu Archiepiscopi eidem Ecclesiæ deservitura permaneat. Insuper etiam concessimus, & jure Impera-*

peratorio constituimus, ut monachi in hac abbatia Deo sub regula servientes liberam inter se habeant Abbates eligendi potestatem, & semper sub voluntate & consensu Magdeburgensis Archiepiscopi hæc fiat electio. —— Data II. Kal. Novemb. Anno Dominicæ Incarnat. DCCCCLXVIII. Indictione XII. Anno vero regni Domini Ottonis XXXIII. Imperii autem VII. Actum Anconæ, in Dei nomine feliciter. amen.

§. CXX. Denique hoc ipso anno IↃCCCCLXVIII. Imperatorem monasterium prope Magdeburgum in monte, quod exin *Bergense* vulgo audit, S. Johanni sacrum, jam consummatum, possessionibus etiam & proventibus annuis sufficienter dotatum, Archiepiscopo Magdeburgensi subjecisse, ut ille inspector collegii, ephorus, & ἐργοδιώκτης esset perpetuus, in *Chronico* hujus *Monasterii* annotavit Henr. Meibomius.

969. §. CXXI. Anno IↃCCCCLXIX. Otto Imp. prædium Hunoldeshusanum in Hassia situm Ecclesiæ Magdeburgensi adscripsit. Præceptum hac de re confectum & Papiæ signatum affero.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam futurorum industria, qualiter nos ob spem divinæ retributionis, more Antecessorum nostrorum Regum vel Imperatorum, qui munificentiæ suæ donis Ecclesias ditaverunt, pro statu Regni vel Imperii nostri, & pro incolumitate nostra dilectæq; conjugis nostræ Adelheidis, filiiq; & Coimperatoris nostri Ottonis, instinctu & monitu venerabilis Episcopi Annonis quoddam prædium Hunoldeshusen nominatum, situm in provincia Hassorum, quod idem venerabilis Episcopus in beneficium habere videtur, sancto

Mau-

Mauritio Martyri Christi in opem & supplementum operis Magdeb. incepti cum omnibus appendiciis & utilitatibus suis tam in ædificiis, quam in mancipiis utriusque sexus, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, terris cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, Imperiali nostra munificentia in perpetuam proprietatem transfundimus & donamus, ut Archiepiscopi illius Ecclesiæ secure & inoffense teneant & possideant, & suis, ut Ecclesiasticas res, usibus adjungant. Et ut hoc autoritatis nostræ donum firmum & stabile permaneat, hanc cartam conscribi & annuli nostri impressione signari jussimus, & manu propria subtus firmavimus. Datum VII. Kal. Augusti, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXIX. Anno Imperii Domini Ottonis VIII. Filii autem ejus tertio. Actum Papiæ in Dei nomine. amen. Signum Domini Ottonis Junioris invictissimi Imperatoris Augusti. Ludigerus Cancellarius ad vicem Hattonis Archicapellani recognovi & subscripsi.

§. CXXII. Initio anni sequentis Otto Imp. adhuc subsistens Papiæ præceptum conscribi fecit de bonis in Guddenstein Archiepiscopatui Magdeburgensi dedicandis: ac sequitur ejusdem formula. 970.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente Clementia Imperator Augustus. Noverint omnes fideles nostri tam præsentes, quam & futuri, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Adelheidis filiique & Coimperatoris nostri Ottonis, pro salute & remedio animarum nostrarum, pro statu quoque regni vel Imperii nostri, Deo sanctoque Martyri Mauritio, quicquid hactenus in Guddenstein habere visi sumus, tam in ædificiis, quam in mancipiis utriusque sexus, terris cultis & incultis, pratis,

pascuis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, cum omni utilitate liberaliter offerimus, & in jus perpetuum transfundimus & donamus, eo scilicet tenore, ut Archiepiscopus sanctæ Magdeb. Ecclesiæ suique Successores teneant & possideant, & suis juxta libitum, ut res Ecclesiasticas, usibus adjungant. Et ut hoc liberalitatis nostræ munus eidem Ecclesiæ per successura tempora firmum & stabile permaneat, & a nostris fidelibus verius credatur, cartam hanc conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus. Datum X. Kal. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXX. Indictione XIII. Anno regni Serenissimi Regis Ottonis XXXV. Imperii scil. sui in Italia VIII. Actum in civitate Papia infra Palatium, in Christi nomine, amen. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Luitgerus Cancellarius ad vicem Archiepiscopi & Capellani recognovi & subscripsi.

§. CXXIII. Sequenti autem die aliud conscriptum est præceptum de donatione municipii Sputne ad Salam siti: quod itidem cum benevolo lectore communicamus.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente gratia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum industria, qualiter nos pro remedio & absolutione animæ nostræ, & pro statu & incolumitate regni vel Imperii nostri, dilectæque conjugis nostræ Adalheidis, filiique & Coimperatoris nostri Ottonis, municipium Spuitne dictum in orientali parte Salæ fluminis situm, cum omni burgiwardo suo, quicquid nostri juris inibi esse videtur, ex toto & ex integro cum omnibus appenditiis suis, tam in ædificiis, quam in familiis, vel mancipiis

cipiis utriusque sexus, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, Sancto Mauritio Magdeb. in perpetuam possessionem liberali munificentia offerimus & donamus. Et ut hoc largitatis nostræ donum eidem Ecclesiæ firmum & stabile permaneat, hoc autoritatis nostræ præceptum conscribi & annuli nostri impressione signari jussimus, quod & manu propria subtus firmavimus. Datum IX. Kal. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXX. Indictione XIII. Anno Imperii Domini Ottonis IX. Filii autem ejus IIII. Actum Papiæ. In Dei nomine amen. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Ludigerus Cancellarius ad vicem Ruperti Archicapellani notavi.

§. CXXIV. Eodem die Imp. Otto quicquid prædii habuit in villa Bornsted, toties laudatæ Magdeburgensi Ecclesiæ resignavit sequenti diplomate.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam futurorum industria, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Adelheidis filiique carissimi Coimperatoris & coæquivoci nostri Ottonis, quidquid prædii habere visi sumus in Brunningistede, in pago Northuringa, in Comitatu Geronis Comitis, quem hactenus Folcmarus Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus in beneficiũ habuit, nostra ex parte cum omnibus appenditiis suis, mobilibus & immobilibus, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, vel omnibus utilitatibus ad idem prædium jure pertinentibus, ad opus & servitium sancti Mauritii Martyris liberaliter in perpetuam proprietatem in Magdeburg tradimus & donamus, ut Archiepiscopi illius Ecclesiæ omni contradictione remota

inoffense teneant & possideant, & suis, ut Ecclesiasticas res, juxta libitum usibus adjungant. Et ut hoc nostræ auctoritatis præceptum vel munificentiæ nostræ donum firmum & inconvulsum maneat, per successura temporum curricula, cartam hanc conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus. Data VIII. Kal. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXX. Indictione XIII. Anno Imperii Domini Ottonis VIIII. filii autem ejus IV. Actum Papiæ in Dei nomine amen. Signum Domini Ottonis Magni & invictissimi Augusti. Ludigerus ad vicem Ruperti Archicapellani recognovi.

§. CXXV. Ac iterum eodem die conscriptum fuit privilegium de prædio Retha, & lito quodam Archiepiscopatui Magdeburgensi dedicatis. Illius formula ita se habet.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina providente clementia Imperator Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quam & futuris, qualiter nos ob spem divinæ remunerationis, pro statu quoque & incolumitate regni vel Imperii nostri, pro sanitate etiam nostra dilectæque conjugis nostræ Adelheidis filiique & Coimperatoris nostri Ottonis quoddam prædium Retha nominatum in confinio Vulde & Wisare situm, quod Erp Domino genitori nostro regi Heinrico concambii jure tradidit, cum omnibus appendiciis suis, tam in mancipiis, quam in ædificiis, pratis, pascuis, silvis, venis (forte: *venationibus*) *piscationibus, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, vel omnibus utilitatibus illuc jure pertinentibus, & quendam nostræ Imperatoriæ proprietatis lidum* Opoldum *nuncupatum cum omni sua familia, petitione & interventu nostri carissimi Episcopi Annonis, qui*

idem

idem prædium in beneficium habere videtur, ad opus & servitium sancti Mauritii Martyris liberaliter in perpetuam proprietatem tradimus & donamus in Magdeburg, ut Archiepiscopi illius Ecclesiæ omni contradictione remota inoffense teneant & possideant, & suis, ut res Ecclesiasticas, juxta libitum, usibus adjungant. Et ut hoc nostræ autoritatis præceptum vel munificentiæ nostræ donum stabile & inconvulsum permaneat, cartam hanc conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus. Data VIII. Kal. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXX. Indictione XIII. Anno Imperatoris Domini Ottonis IX. Filii autem ejus IIII. Actum Papiæ in Dei nomine amen. Signum Domini Ottonis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Ludigerus Cancellarius ad vicem Rodberti Archicapellani notavi.

§. CXXVI. Venit etiam in manus nostras diploma Papiæ conscriptum de bonis in villis Wikkere & Norenstede monasterio S. Iohannis prope Magdeburgum (id ipsum est Bergense) donatis: quod integrum ut afferamus, operæ pretium fuit visum.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Augustus. Noverint omnes fideles nostri, tam præsentes scilicet, quam & futuri, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Adalheidis, filiique & Coimperatoris nostri Ottonis, pro statu vel incolumitate regni & Imperii nostri, quoddam prædium, quod Guntramus fidelis noster ex suo suæque conjugis proprio in villis Wikkara & Noranstat nominatis nobis tradidit, ad monasterium S. Johannis Baptistæ, quod in suburbio Magdeburg situm, & cum omnibus appenditiis & utilitatibus, sicut idem Guntramus attenus possidet, tam in mancipiis,

 quam

quam ædificiis, & tertia parte unius Ecclesiæ, vinetis, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, in pago & Comitatu Kunigesundra, cui Numat Comes præesse videtur, ad opus Monachorũ in præfato monasterio Deo sub regula S. Benedicti servientium liberaliter obtulimus, ut teneant & possideant, & suis, ut res monasticas, juxta libitum, usibus adjungant. Et ut hoc munificentiæ nostræ munus firmum & stabile permaneat, & a nostris sanctæque Ecclesiæ Dei fidelibus verius credatur, cartam hanc conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus. Datum XVI. Kal. Febr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXX. Indictione XIII. Anno Imperii Domini Ottonis Imperatoris Augusti majoris IX. Flii autem ejus IIII. Actum Papiæ in Dei nomine feliciter. Amen. Signum Domini Ottonis Regis Magni & Invictissimi Imperatoris Augusti. Ludigerus Cancellarius ad vicem Haddonis Archicapellani notavi.

971. §. CXXVII. Exeunte anno IↃCCCCLXXI. Ravennæ denuo commoratus Otto Imp. ibidem conscribi ac signari fecit præceptum de prædio Koteriz Metropolitanæ Ecclesiæ Magdeburgensi donato. Diploma integrum his est conceptum verbis.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Otto divina favente gratia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quam futurorum industria, qualiter nos ob spem divinæ remunerationis, pro statu quoque & incolumitate regni vel Imperii nostri, pro sanitate etiam nostra dilectæque conjugis Adelheidis, filiique & Coimperatoris nostri Ottonis, quoddam prædium Chotirodizi nominatum in pago Northuringa, in Comitatu Huodonis

Comi-

Comitis situm, cum omnibus appendiciis suis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, vel omnibus utilitatibus illuc pertinentibus, ad opus & servitium Sancti Mauritii Martyris liberaliter in perpetuam proprietatem tradimus & donamus in Magdeburg: ut Archiepiscopi illius Ecclesiæ omni contradictione remota inoffense teneant & possideant, & suis usibus, ut Ecclesiasticas res, juxta libitum adjungant. Et ut hoc nostræ autoritatis præceptum firmum & stabile permaneat, cartam hanc conscribi, & annuli nostri impressione signari jussimus, quam & manu propria subtus firmavimus. Data Kal. Decembris. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXI. Indictione XIV. Anno Imperii Domini Ottonis XI. Filii autem ejus V. Acta Ravennæ in Dei nomine. Signum Domini Ottonis Magni & invictissimi Imperatoris Augusti. Willigisus Cancellarius ad vicem Roberti Archicapellani notavi.

§. CXXVIII. Atque hæ sunt magnificæ Ottonis I. donationes, quas quidem multo cum labore secundum seriem annorum distinximus. Supererant nonnullæ aliæ; sed quia in annorum nota suos habent scrupulos, earum summam hoc loco separatim annotare voluimus.

Et primum quidem *quicquid in his quatuor locis Hardestorp, Otterslebe, Suldorp, Immwadinge, in reliquis vero villis infra scriptis, Koboldosdorp, Trumpsicz, Mendesleve, Michamdorp, Winischebsconburg, Frosa, Pridelisti, Rodaldesdorp, Limdesdorp, Wedingi, Glinde, Biscatesdorp, Plochwisci, Thioteresdorp, in usus monachorum cœnobii Magdeburgensis jure perenni in proprium donat.*

Deinde *instinctu & monitu Friderici Sanctæ Maguntinensis sedis venerabilis Archiepiscopi, Adaldagique Archiepiscopi, nec non Bernhardi Halberstadensis Ecclesiæ Episcopi, quandam curtem Hebesheim nominatam, in pago Derlingun, in Comitatu Brunonis situm, in præsentia ejusdem Brunonis Comitis filiique ejus Ludolphi, Geronis Marchionis, Christiani Comitis, nec non Lotharii & Friderici Comitum, cum omni integritate, universisque appendiciis aut utilitatibus, vel acquisitis, vel acquirendis, Deo Sanctoque Martyri Mauritio in Magdeburg regali sua munificentia in perpetuum transfundit, & ad opus vel usum fratrum ibidem Deo Sanctoque Mauritio, suo videlicet patrono servientium deputat.*

Porro *ob interventum charæ conjugis suæ Adelheidis, atque fidelis filii Wilhelmi S. Moguntinæ sedis venerabilis Archiepiscopi, ac Geronis Marchionis, quasdam suæ proprietatis villas Pressitz, Moser, Nedeliz, Puciani nominatas, ultra Albiam fluvium in pago Moritzani dicto, & in Comitatu prædicti Geronis Marchionis sitis, cum omnibus earum appendiciis, —— Deo omnipotenti Sanctoque Martyri Mauritio, suo scilicet patrono in Magdeburg, ac regia sua vel Imperiali præceptione perpetualiter ibi manendum tradit atque transfundit.*

Præterea *ob amorem Dei, regnique æterni mansionem, insuper etiam pro stabilitate regni vel imperii sui, nec non pro salute remedioque animæ suæ, dilectæque conjugis Adalheidis, atque amantissimæ prolis & æquivoci sui Ottonis, quandam suæ proprietatis villam Musischi nominatam, in pago Derlingen, & in Comitatu Ditmari Comitis sitam cum omnibus utilitatibus hanc rite adspicientibus a suo jure in jus sanctissimi Martyris Mauritii, sui videli-*

cet

cet patroni in Magdeburg perpetualiter ibi manendum, absque ulla heredum vel successorum suorum contradictione transfundit atque donat.

§. CXXIX. Anno IↃCCCCLXXII. Ottonem Imp. 972.
Mechtildæ matris aliorumque Principum nunciata funera ex Italia retrahunt in Germaniam. Quamobrem, *subditis sibi cunctis hostium cuneis* (Ditmari Mersburg. hæc sunt verba lib. II.) *arduam Alpium transcendit viam, Bavariam invisens regionem, ibique cunctis sapienter dispositis, recto itinere ad Magdeburgensem pergens civitatem palmas ibidem festivo duxit honore.* Dominicam Palmarum diem solemni ritu Magdeburgi Ottonem celebrasse, designare voluit Ditmarus: id quod factum est anno IↃCCCCLXXIII. *Pro remedio autem animæ suæ* (sic pergit Ditmarus) tradidit *postera luce ineffabilia Domino munera, invictissimoque ejus duci Mauritio, in prædiis, in libris, ceteroque apparatu regio, confirmans omnia legitima advocatorum traditioneque scripturarum, in præsentia & laude Imperatricis & filii, atque sub omnium testimonio Christo fidelium.*

§. CXXX. Atque hoc eodem anno nongentesimo 973.
tertio & septuagesimo, Nonis Maji Imperator Otto Memlebiæ in Thuringia ad Unstrutum fluvium, supremum diem obiit, ac Magdeburgi in templo cathedrali a se constructo splendide sepultus est. Witichindum Annal. lib. III. de hoc excessu & sepultura loquentem audiamus. *Tertia feria ante Pentecosten loco devenit, qui dicitur Mimileve. Proxima nocte juxta morem diluculo de lecto consurgens, nocturnis & matutinis laudibus intererat. Post hæc paulululum requievit. Missarum deinde officiis celebratis, pauperibus juxta morem manus porrexit, paululum gusta-*

gustavit, iterumque in lecto requievit. Cum autem hora esset, processit lætus, & hilaris ad mensam resedit. Peracto ministerio vespertinis laudibus interfuit. Peracto cantico Evangelii æstuare atque fatigari cepit. Quod cum intellexissent Principes circumstantes, sedili eum imposuerunt. Inclinantem autem caput, quasi jam defecisset, refocillaverunt, expetitoque sacramento divini corporis & sanguinis, & accepto, sine gemitu cum magna tranquillitate ultimum spiritum cum divinis officiis pietati creatoris omnium tradidit. Transportatur inde in cubiculum: & cum esset jam sero, nunciatur populo mors ejus. Populus autem pro ejus laude & gratiarum actione multa locutus, memoravit eum paterna subjectos rexisse pietate, ab hostibus eos liberasse, superbos hostes Avares, Saracenos, Danos, Sclavos armis vicisse, Italiam subjugasse, delubra Deorum in vicinis gentibus destruxisse, templa ministrorumque ordines constituisse, multaque alia bona invicem conferentes regali funeri insistebant. Mane autem jam facto, licet jam olim inunctus esset in Regem, & a beato Apostolico designatus in Imperatorem, spei unicæ totius Ecclesiæ, Imperatoris filio, ut initio, certatim manus dabant, fidem pollicentes, & contra omnes adversarios sacramentis militaribus confirmantes. Igitur ab integro ab omni populo electus in Principem, transtulit corpus patris in civitatem, quam ipse magnifice construxit, vocabulo Magdeburg. Itaque defunctus est Nonis Maji, quarta feria ante Pentecosten, Imperator Romanorum, Rex gentium, divinarum humanarumque rerum multa ac religiosa seculis relinquens monumenta. Paulo brevius Ditmarus lib. II. *Tertia feria ante Pentecosten ad Mimmeleben veniens, postero die ad mensam lætus sedebat.*

Qua

Qua finita cum jam vespera cantaretur, infirmari cœpit & inclinari. Quem qui astabant proxime suscipientes, deposuerunt, refocillatusque divino celeriter viatico, orantibus pro exitu cunctis, debitum persolvit naturæ Nonis Maji IV. feria. Sequenti vero nocte viscera ejus soluta in Ecclesia Sanctæ Mariæ sunt tumulta: corpus autem ejusdem aromatibus conditum ad Parthenopolin translatum, ibique honorabiliter atque lachrymabiliter susceptum, marmoreoque impositum sarcophago sepultum est ab Archiepiscopis Gerone atque Adelberto, cæterorumque auxilio Episcoporum clerique totius. Errasset igitur Hermannus Contractus, si Imperatorem non modo Magdeburgi sepultum, sed etiam mortuum tradidisset. Sane in Pistoriana editione hæc legas: *Otho Imperator Nonis Majis subitanea morte apud Parthenopolim obiit & sepelitur.* At vero in Vrstisiana quæ reperiuntur, rectius ita habent: *Otto Imp. Nonis Maji subito mortuus, apud Parthenopolim, id est, Megedeburc, ubi ipse Arhiepiscopium fecerat, sepultus est.* Porro sepulturæ Ottonis Magdeburgicæ meminerunt Adamus Bremensis lib. II. Helmoldus *Chron. Slavor. lib. I. cap. XIV.* Marianus Scotus, Gotfridus Vdterbiensis, Otto Frisingensis, Conradus Abbas Vrspergensis, Albertus Stadensis, Gobelinus Persona, Theodoricus Engelhusius in *Chronicis Vniversalibus*, Tritthemius in *Chronico Hirsaugiensi*, Krantzius *Metropol. lib. III. cap. XXXI.* ubi addit: *Magdeburgensis memores conditoris sui, statuam ei insignem cum geminis uxoribus, grata animi signa, usque in hodiernum conservant in foro publico suæ civitatis.* Denique afferam quæ idem habet Saxoniæ lib. IV. *Ottonis corpus magnis lugentium exequiis a filio Rege translatum est in civitatem,*

quam

quam ipse extruxit, Magdeburgum, ibique honorifice tumulatur. Extat hodie sepulcrum ejus in crypta. Ajunt, qui ætate nostra viderant, corpus ejus post annos supra quingentos ita balsamo stare firmatum, ut velut in sella consideat illæsum. Cujus tumulus ut magnifice renovetur, exposcunt egregia illius Principis in Saxoniam primum patriam, deinde in omnem Germaniam, demum in omne Imperium & universam Ecclesiam catholicam merita. Romanum enim imperium ab illo magnifice propagatum, exquisitum honorem & perenne memoriale suo jure deposcit, ut ejus in terris memoria permaneat diuturna, & (si fieri possit) sempiterna: quem ad meliora regna Rex transtulit immortalis. Monumento Imperatorio sequentes versiculos ferunt olim fuisse inscriptos:

TRES LVCTVS CAVSÆ SVNT HOC SVB MARMORE CLAVSÆ
REX, DECVS ECCLESIÆ, SVMMVS HONOR PATRIÆ.

FINIS.

